Digitized by Google

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO EBORENSE
32
6 C
15

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

COMMERCII EPISTOLARIS VFFENBACHIANI SELECTA

VARIIS OBSERVATIONIBVS ILLVSTRAVIT

AD PRIMAM SECTIONEM COMMENTATIONIS DE STVDIO B. VFFENBACHII BIBLIOTHECARIO PRÆMISIT

IO. GE. SCHELHORNIVS

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



PARS TERTIA.

VLMAE ET MEMMINGÆ
APVD IO. FRIDER. GAVMIVM
MDCCLIII.

32·6·C·15

Digitized by Google

VIRO
SVMME VENERABILI,
AMPLISSIMO
ATQVE CELEBERRIMO
CHRISTOPHOR. AVGVSTO HEVMANNO
S. THEOL. DOCTORI
EIVSQVE AC HISTORIÆ LITERARIÆ
IN FAMIGERATISSIMA GEORGIA AVGVSTA
QVÆ GOTTINGÆ FLORET ACADEMIA
PROFESSORI PVBLICO ORDINARIO
VIRO
VTI DE OMNI RE LITERARIA
ITA DE DOCTRINA SANCTIORI
EXEGESI PRÆSERTIM SACRA
MVLTIS NOMINIBVS PRÆCLARISSIME
MERITO
CVM OLIM
CVM B. VFFENBACHIO
SANCTE PER LONGAM ANNORVM
SERIEM CVLTA
INTERCESSIT NECESSITVDO

FAVTORI ET AMICO
A SEX IAM LVSTRIS INTEGERRIMO
PIEQVE COLENDO
TERTIAM HANC
COMMERCII EPISTOLARIS
VFFENBACHIANI
PARTEM
IN PVBLICVM SVMMÆ OBSERVANTIÆ
ET AMORIS HAVD INFVCATI
MONIMENTVM INSCRIBIT
AC PROPITIVM NVMEN ARDENTER
IMPLORAT
VT EVM IN SEROS ADHVC ANNOS
INCOLVMEM OMNIQVE PROSPERITATE
BEATVM
ECCLESIÆ NOSTRÆ
AC ORBIS ERVDITI BONO SERVET!

CELEBERRIMO EIVS NOMINI

Addictiſſimus

IOANNES GEORGIVS SCHELHORNIVS D.
Superintendens Memmingenſis.

Google

PRÆFATIO.

Vnum eſt, quod te in limine hujus Voluminis moneam, Lector benevole: nimirum ejus frontiſpicium condecorandum me curaviſſe conſpectu inſtructiſſimæ B. VFFENBACHII mei Bibliothecæ, ſcita Generoſiſſimi Fratris, quem Deus ſervet! manu eleganter in æs inciſo. Is olim quidem jam fuit primo Catalogi librorum ejus tam typis, quam calamo exaratorum tomo

3 præ-

præmiſſus, ſed haud pauca illius exemplaria infeliciter intercidiſſe compertum habeo. Altero hujus Bibliothecæ Conſpectu aliquando quartus noſtræ collectionis faſciculus exornabitur. Ita vale, amice Lector, huicque inſtituto conſtanter fave.

ELEN-

ELENCHVS EORVM,

QVÆ

PARTE TERTIA CONTINENTVR.

Epiſtolæ mutuæ Ern. Mart. Plarrii et Vffenbachii pag. 1

- - - *Vffenbachii et Raym. Krafft a Dellmenſingen* 14

- - - *Vffenbachii et Immanuelis Weberi* 28

- - - *Vffenbachii et Jo. Henrici Maji fil.* 41

- - - *Vffenbachii et Val. Erneſti Læſcheri* 151

- - - Gottfr. *Balth. Scharffii et Vffenbachii* 164

- - - *Henr. Chriſtiani L. B. de Senckenberg et Vffenbachii* 171

SINGVLARES EDITORIS OBSERVATIONES.

I. *Commentationis de ſtudio B. Zach. Conradi ab Vffenbach Bibliothecario Pars I.* pag. 1

II. *Obſervatio de Petro Saulo Fauſtino Tradocio, Henrici Cornelii Agrippæ præcurſore* 59

III. *Obſ. de Amploniana aliisque Erfurtenſibus Bibliothecis* 135

COM-

COMMENTATIO
DE
STVDIO B. ZACH. CONRADI AB VFFENBACH BIBLIOTHECARIO.

INter Viros æterna memoria dignos, qui copioſiſſimas ſuas Bibliothecas, ſumma induſtria parique felicitate conditas, in publicas utilitates converterunt cupidiſſime, principem facile locum occupat b. VFFENBACHIVS, Germaniæ, dum viveret, noſtræ Peireſcius. Non ingratam igitur lectoribus meis fore ſpero, quam hic promiſſi in vitæ ejus deſcriptione, p. LXVII. dati memor exhibeo de ſtudio illius bibliothecario, cui per omnem fere vitam deditus fuit, commentationem. Inſitus ipſi erat literarum librorumque ardentiſſimus a primis fere

crepundiis amor, quo inflammatus anno MDCCIV. ex Academiis redux ingentem condere bibliothecam, non ſibi tantum, ſed aliis etiam literis ſtrenue operantibus profuturam bonoque publico deſtinatam, ſtatuit.

Quam vero iſtam principio ſtatim bibliothecam ſibi conſtruendam animo deſtinaverit, inde patet, quod anni illius menſe Aprili ingenioſa fratris germani generoſiſſimi, Jo. Friderici ab VFFENBACH manu emblema, ſingulis bibliothecæ ſuæ voluminibus, vel involucris potius eorum interius agglutinandum, delineari, ac deinceps artificioſo Joannis Ulrici Krauſii Auguſtani cælo æri, idque pro diverſa librorum magnitudine quadruplici forma, incidi, cujusvis autem formæ octo exemplorum millia exprimi curaverit. Cognitum eſt illud emblema omnibus, qui vel olim ex bibliotheca Vffenbachiana libros quosdam mutuo acceperunt, vel deinde, cum divenderetur, ex ea juſto emtionis pretio ſibi vindicarunt (a). Nihil vero magis doluit, quam cum civitas Francofurtenſis non tantum exoticarum mercium, ſed eruditionis etiam ac li-

(a) conf. de hoc emblemate hujusce opellæ Part. II. p. 275. ſqq.

literarum omnis generis emporium olim fuerit, quod noſtris hiſce temporibus res literaria ac libraria ibi adeo ſit collapſa, ut nobile hoc commercium propemodum omne evanuerit, ac præſtantiora rarioraque opera aliunde potius arceſſenda ipſi fuerint, quam domi expectanda. Superiori ævo nihil erat inter eruditos, librorum amantes, nundinis Francofurtenſibus illuſtrius, in quas undique ex remotiſſimis etiam oris advolabant non ii duntaxat, qui ſui ingenii fœtibus, in dias luminis auras proferendis, quærebant obſtetricantes bibliopolarum, ex omni orbe Europæo huc confluentium, manus, verum etiam, qui bibliothecis inſignibus adornandis ſtrenuam navabant operam. Hic enim illis commodiſſima erat occaſio ex immenſa mercium librariarum copia ſeligendi, atque brevi temporis ſpatio congerendi, quibus bibliothecæ vel ipſis regibus ac principibus dignæ condi et inſtrui poſſent. Hinc ad opes ſuas literarias feliciter adaugendas Jacobus BONGARSIUS itinera Francofurtenſia quondam ſuſcepit (b). Emericus quoque BIGOTIUS doctæ ſupellectilis ſuæ locupletandæ cauſa ad hanc potiſſimum bibliopo-

(b) vid. Jo. Henr. Hottingeri Bibliothecar. Part. I. Cap. II. p. 15.

larum panegyrin e Gallia ſua haud ſine læto ſucceſſu properavit (c) : ita pariter Reip. Auguſtanæ proceres Hieronymum WOLFIUM bibliothecæ publicæ præſtantibus libris ditandæ ergo ad hunc illuſtrem mercatum miſerunt (d) : ac, ut alios taceam, ipſe Fridericus BORROMÆUS, purpuratus Romanæ eccleſiæ pater et Archiepiſcopus Mediolanenſis, ad amplificandas famigeratiſſimæ Ambroſianæ bibliothecæ divitias OLGIATUM ſuum ex Italia eo ablegavit (e). Non poſſum mihi temperare, quin huc transferam elegantia verba, quibus Henricus STEPHANUS, homo alias querulus, nundinas illas in libello parum hodie obvio deſcriptas dedit, cum res ad hiſtoriam literariam ſpectet. Ita autem ille teſtis αὐτόπτης et ipſa experientia edoctus (f) : *A nundinis Mercurii*

(c) *VIGNEUL DE MARVILLE Melange d' hiſtoire et de la literature* Tom. I. p. 171.

(d) Factum id A. 1565. teſte ipſo Wolfio in dedicatione Suidæ ſui ad Jacobum Villingerum A. 1580. ſcripta.

(e) teſte Paulo Boſcha de biblioth. Ambroſiana p. 22. ubi nundinas illas miris extollit laudibus.

(f) in libello, ſuis typis A. MDLXXIV. in

turii ad Muſarum nundinas tranſeo : niſi potius nundinalem quandam Muſarum Academiam vocare debeo. Suos enim hæ typographos et bibliopolas in urbem illam eodem nundinarum tempore convocant : eosque ſecum, poetas, oratores, hiſtoricos, philoſophos adducere jubent : non eos tantum, quos olim Græcia et Italia genuerunt, ſed eos etiam, quos gignunt quotidie, quæcunque ab illis novem ſororibus viſuntur regiones. Qui poſtquam eo omnes convenere, non in ea Germaniæ civitate, cui nomen eſt Francofordium, ſed in illa totius Græciæ olim florentiſſima et litterarum ſtudiis celeberrima verſari tibi videaris. Niſi quis illum, qui rei litterariæ deſtinatus eſt, vicum, quem typographi et bibliopolæ incolunt (g), *FRANCOFORDIENSES ATHENAS appellare malit. Nam quis, obſecro, quum ſe ibi tot tamque doctorum ſcriptorum coronâ cingi videbit, Athenis agere ſe non arbitretur,*

in 8. exſcripto, cui hunc indidit titulum : FRANCOFORDIENSE EMPORIUM *ſive* FRANCOFORDIENSES NUNDINÆ, p. 23. ſqq. Hujus libelli raritatem exinde auguror, quod diligentiſſimus ALMELOVENIUS ejus plane non meminerit in Henrici STEPHANI vita, ubi reliqua ejus ſcripta ſtudioſe recenſet.

(g) Vicus ille hodienum vocatur *die Buch-Gaſſe.*

tretur, quo cultores Muſarum commigrare quondam ſolebant, ut philoſophis et cæteris, quos enumeravi, operam darent? Fallitur enim, qui in hoc vico, quem ATHENAS FRANCOFORDIENSES appellari poſſe dixi, non ipſos ſcriptores ſed eorum tantum ſcripta viſi putat: ad multos quidem certe quod attinet eorum, qui ſuis ſcriptis ſuperſtites. Hinc fit, ut qui e nullis bibliothecis percipi poteſt fructus, ex iſta nundinali (ut antea loquutus ſum) Academia percipiatur. Hic namque viva multorum præceptorum voce, qui e variis Academiis confluunt, frui omnibus licet: hic plerumque in ipſis bibliopolarum tabernis aliquos non minus ſerio philoſophantes audias, quam olim philoſophantes in medio Lyceo Socrates et Platones audiſſes. Nec vero philoſophos tantum celebres illæ Academiæ, Viennenſis, Witebergenſis, Lipſienſis, Heidelbergenſis, Argentoratenſis, et inter peregrinas, Lovanienſis, Patavina, Oxonienſis atque Cantabrigienſis: hæ, inquam, aliæque, quas longum enumerare eſſet, non philoſophos tantum illuc mittunt: ſed et quoſdam poetices, quoſdam artis oratoriæ, quoſdam hiſtoriæ, quoſdam mathematicarum ſcientiarum, nonnullos earum ſimul omnium peritos: adeoque, ut paucis abſolvam, qui illum orbem doctrinæ, quem Græci encyclopædiam vocant, tenere ſe profiteantur. Falſo igitur dictitant Itali (amicus enim Plato, ut ille ajebat, ſed amica magis veritas) Germanis ingenium in digitis duntaxat eſſe collocatum: perinde nimirum acſi opificiis duntaxat, et mecha-

nicis,

nicis, ut vulgo appellamus, artibus, natio hæc excelleret. Viſant illi, viſant Francofordienſes nundinas, atque has, quas ſibi conſociatas habent, Atticas nundinas. Hæ profecto dictum illud primo ingreſſu mendacii coarguent, magnamque eo fieri huic genti injuriam oſtendent. Neque vero hæ Muſarum nundinæ Mercuriales illas dignitate ſuperant tantummodo, ſed ipſæ etiam (quod magis mirum eſt) copia cum illis quodammodo certant. Ibi enim literarii etiam Germanorum labores, (ut interim de aliorum laboribus taceam) illorum operum, in quibus ingenium digitorum Itali ſe admirari dicunt, numerum propemodum æquant: nec minus litterarum ſtudioſi cum mercatoribus ipſo itidem numero certare videntur. Oſtendant quæſo ipſi Itali, oſtendant in ſua regione, non dicam quod cum nundinis iſtis hac in re comparari, ſed quod vel cum minima illarum parte conferri poſſit. Aliquid certe oſtentare, ſed nihil oſtendere poterunt. Verum enimvero etiamſi non aliud hæ Atticæ nundinæ, quam domos omni genere librorum refertas darent (ut ibi plurimas videre eſt) minimeque hoc beneficii adderent, ut tot doctorum virorum ſermonibus et colloquiis frui liceat: nonne quantivis pretii Muſarum cultoribus eſſe deberent? Nimirum haud minus locuplete bibliotheca (ſi ſola librorum varietas ſpectetur) ditare aliquem poſſunt, quam fuerint illæ Ptolemæi, Polycratis, Piſiſtrati, vel aliorum principum, ab antiquitate celebratæ bibliothecæ: et quidem ita, ut minime ſumptus itidem regales, id eſt im-

immenſos, vel potius (ut quidam loquuti ſunt) immanes, in eam facere cogatur.

Quam autem, quæſo, jucundum fuiſſet VFFENBACHIO, ſi ſuo adhuc tempore Atticæ illæ nundinæ ita floruiſſent? Quam gratum et exoptatum, ſi concurſus ille eruditiſſimorum e cunctis Europæ regioribus virorum mercatum hunc ſua etiamnum ætate reddidiſſet illuſtriorem? Confluxiſſent ſane eo præſertim tempore, quo jam bibliotheca ejus præſtantiſſimis libris et codicibus ſuperbiebat, ii omnes et ſinguli ad illius domum, ceu diſciplinarum quarumvis prytaneum ac Muſarum Apollinisque delubrum, oculos mentemque manusque ſuaviſſime oblectaturi tot κειμηλίων literariorum luſtratione ac uſu, admiraturi eximiam eorum undique ſtudioſiſſime conquiſitorum copiam, ac veneraturi digniſſimum tanti ipſisque Perſarum gazis præſtantioris theſauri dominum. Huiusce felicitatis, qua olim Francofurtum præ cunctis Europæ civitatibus gaudebat, ſi quando inter amicas doctasque confabulationes incideret mentio, Noſter triſte illud: *Fuimus Troës! fuit Ilium, et ingens gloria Dardanidum*, ingeminare ſolebat, ſiniſtræ ejus καταστροφῆς cauſam haud ſane referens in perilluſtrem Reip. patriæ ſenatum, omnia ſollicite molientem, ut in nundinas ſuas, aliis mercimoniis, ex remotiſ-

motiſſimis terrarum oris feliciter advectis, ad miraculum affluentes ac florentiſſimas, dulces etiam ante omnia Muſæ, quibus earumque cultoribus in celeberrima hac panegyri tam bene quondam fuit, quaſi poſtliminio revocentur, jucundiſſimo excipiendæ hoſpitio; ſed in ipſa noſtra tempora, quibus Francofurtum non amplius oſtentare poteſt Egenolphos, Wechelos, Aubrics, Marnios, horumque ſimiles bibliopolas, quorum officinæ erant olim inſignibus omne genus operibus longe inſtructiſſimæ, atque ita comparatæ, ut vel illæ ſolæ ex ultima Thule librorum cupidos allicere, adque ſe magnetis inſtar ſuavi quodam faſcino attrahere potuerint. Præterea hanc negotiationis literariæ in nundinis patriis ſterilitatem imputabat iis, quibus ab Auguſtiſſimis Imperatoribus, laudabili alias conſilio, commiſſa eſt inde ab RUDOLPHI II. (h) ævo librorum cenſura ac bibliopoliorum viſitatio. Nam ut nihil dicam de eo, quod illi a librariis ſuo quodam jure novi cujusque libri, in nundinas aſportati, aliquot exempla efflagitent, atque ita inſignem lucri, inde ſpe-

 randi

(h) cujus mandatum de cenſura librorum, in Francof. nundinas allatorum, exhibet Goldaſtus Tom. II. *der Reichs-Satzungen.* f. 350.

randi partem, ſi præſertim ea opera vaſtæ molis grandisque fuerint pretii, auferant, illi, quibus hæc cura demandata eſt, auctoritate ſua haud raro abutuntur, libertati, Muſis amicæ, manus interdum injicientes violentas, ac poteſtatem ſuam nimium extendentes, qua de re publice exſtant juſtæ querelæ, quondam a magnifico Francofurtenſi Senatu ad comitia Ratisbonenſia, et deinceps ab Evangelicorum S. R. Imperii Principum et ordinum oratoribus ad ipſum excelſum Auguſtiſſimi Cæſaris ſolium delatæ (i).

Haud vero penitus infructuoſæ erant noſtro incomparabili bibliothecæ exquiſitiſſimæ condendæ artifici illæ nundinæ. Præterquam enim quod inter pauciores bibliopolas, in eas ventitantes, eſſe etiam conſuêrint Belgæ nonnulli, ipſa itineris commoditate, Rheno videlicet ac Moeno invicem ad merces pariter ac homines Francofurtum transportandos amice conſpirantibus, allecti, et ſecum opportune advehentes ſplendida opera, non in ſua duntaxat

(i) Supplices hoſce libellos Ahasverus Fritſchius inſeruit Tractat. de Typographis, bibliopolis, chartariis et bibliopegis Diſſert. II. Cap. II. §. VI. plag. G. 2. ſq.

xat regione, ſed Anglia etiam ac Gallia; imo ipſa nonnunquam Hiſpania et Italia nitidiſſimis typis excuſa, quibus ſuum exornare apparatum poterat: factum etiam ſubinde eſt, ut nundinarum occaſione bonis avibus in manus ejus, illiusmodi κειμηλίων avidiſſimas, inciderent membranæ veteres, rariora bibliothecarum præſtantium ornamenta. Contigit illa ipſi felicitas primum in nundinis autumnalibus A. MDCCIV. ac deinde aliquoties. Miſerunt nempe Francofurtum ingentem membranarum diſſolutarum congeriem quidam Monachi Colonienſes, aliorumque cœnobiorum ad amoenas Rheni ripas ſitorum inquilini, ut divenderentur non bibliophilis quidem et juſtis rerum æſtimatoribus, verum bibliopegis, bracteatoribus, cribrariis, aliisque hujus farinæ opificibus, quos, cum tot immortalitate dignis codicibus perniciem intulerint, optimo jure literarum ac literatorum peſtes appellitaveris, quo nomine, et ſi quod adhuc eſt contumelioſius, inſigniendi etiam veniunt monachi illi, ſacra iſthæc Muſarum λείψανα, a majoribus ſtudioſiſſime conquiſita et ſancte habita, tam pudendum in modum profanantes, illotisque opificum manibus in prædam concedentes. Dici non poteſt, quantum bonorum codicum iſthac hominum temporumque injuria perierit. Haud ſine quodam mentis horrore

re legi, quæ Ill. MOSERUS hanc in rem (k) commemorat, nempe plusquam Boeotica

(k) in præfatione Bibliothecæ Manuſcriptorum, Norib. A. 1722. editæ, p. 6. Hujus rei mentionem facientes doctiſſimi auctores Actorum Eruditorum Lipſiens. in ſupplem. Tom. VIII. p. 192. ſimile exemplum referunt, ſcribentes: *Ante triginta, et quod excurrit, annos ex vicina nobis bibliotheca vetuſtiſſimæ membranæ, pleraque auctorum claſſicorum, bibliopegis tanto numero ſunt venditæ, ut pretium inde ter centum uncialium (notum eſt, quo uſu id genus hominum membranas æſtimet) conficeretur.* Faciliorem, me quidem judice, veniam merentur monachi Ciſtercienſes cœnobii Septimiani, quinto ab urbe Florentia lapide ſiti, qui ſuis quondam propugnatoribus adverſus hoſtes egreſſis, ponte dilapſo, e codicibus ſuæ Bibliothecæ MSS. membranaceis aggerem feſtina ſedulitate in foſſa paludoſa conſtruxerunt, ut per eum illi ſarti tectique in monaſterium ſe recipere poſſent, quod memoriæ prodidit Nicolaus BACCETIUS, ordinis Ciſtercienſis Abbas in ſua hiſtoria Septimiana, Romæ A. 1724. in fol. ſtudio Malachiæ Inguimberti edita, p. 11. luti veſtigia ſuo adhuc

Boeotica clauſtri cujusdam ingenia non eruditis, non principibus, ſed bibliopegis venum

---

huc tempore in nonnullis codicibus fuiſſe conſpicua teſtatus. Hos enim durum illud telum neceſſitas excuſare videtur.

Cum vero hic caſus inter ſingularia plane codicum MSS. fata referendus, ac ille BACCETII liber in noſtris oris perraro obvius ſit, ipſa ejus verba huc transferre non piget. *Splendidæ Bibliothecæ quæ exſtant adhuc reliquiæ, argumento ſunt, celeberrimum per totam Italiam fuiſſe cœnobium. Continebat enim omnium fere diſciplinarum innumerabilia manu exarata volumina; ut jam ſatis ſit ſemel dixiſſe, ex illius ruinis vel auctas, vel ditatas fuiſſe aliquot illuſtres bibliothecas. Memini ego, cum adhuc adoleſcens eo loci animi gratia degerem aliquando, mirarerque quam plura volumina oblita limo, quorum eſſent adeo contractæ membranæ, adeoque deletæ literæ, ut vix aut nullatenus legi poſſent; graviſſimum ſenem narraſſe, a priſcis ſe patribus accepiſſe, militum Florentinorum cum hoſte conflictum tantæ jacturæ cauſam fuiſſe. Cum enim, ajebat ille, egreſſi de monaſterio, ubi excubabant, urgentes hoſtes a muris repellerent, vix ultra vallum foſſamque progreſſos tumultuario excitatæ defecere ſublicia. Itaque* ut

venum expoſuiſſe ſexaginta mille MSptorum, ex parte præſtantiſſimorum, plerorumque integrorum ac bene compactorum, libras, ſingulas pro 24. groſſis vulgaribus.

Minus reprehenſibiles fuere illi obeſæ naris monachi Inſulenſes, de quibus non poſſum mihi temperare, quin hic lepidam Franciſci MODII Brugenſis narrationem adjiciam. Ita autem ille quondam in epiſtola ad Hieremiam Baunnacherum JCtum Bambergenſem exarata (l): *In neſcio quorum Monachorum Inſulenſium Flandriæ noſtræ cœnobio cum de bibliotheca quæſiſſem, Prior habere pronuntiat, et quidem mire bonam elegantemque: putabam hominem de ſcriptis libris loqui: hos enim venabar ego: oro igitur ambitioſius admitti; annuit,*

---

ut pugnantibus, qui remanſerant, reditum, quam tutum poſſent, pararent, ne ſi ex pugna feſſos regredi contigiſſet, aquis obruerentur, vel limo infixi ad unum omnes trucidarentur; jactis ingentibus librorum corporibus, pontem utcumque excitarunt ad reditum. Unde videre licet, quam copioſa librorum ea bibliotheca fuerit, quorum vel minima pars ad conſtruendum pontem, quo regredientes militares copiæ exciperentur, abunde ſuffecerit.

(l) quæ in nov-antiquis ejus Lectionibus, Francofurti A. 1584. in 8. editis, p. 499. ſqq. legitur.

nuit ; ducit me ad locum , bibliothecæ unicum illum quidem , ſed in quo antiquus liber nullus compareret. DD. Auguſtino , Hieronymo , Bernardo et reliquis plerisque patribus ex editionibus recentiſſimæ quæ exſtarent , pulpita omnia occupantibus. Rogo, quid veteribus eorum hoſpitibus factum ſit ; hos enim novitios eſſe , rem docere. Negat intelligere monachus quid velim, proinde jubet apertius me loqui. Pareo ; et nullosne inquam Pater libros ſcriptos membranaceos habetis ? Imo habuimus , inquit renidens ; ſed venit nunc nuper quidam ad nos , cujus de ſtultitia ſatis dici non-poteſt. Qui cum admitti in hunc locum obtinuiſſet , in quo tum libri quidem multi promiſcue jacerent , ſed quorum nullus eſſet nobis uſus ; literis jam aut vetuſtate fugientibus , aut neſcio quo exotico more conceptis adeo , ut vix menſe decimo quoque e noſtris quisquam huc inferret pedem ; viſis illis repente bonus hoſpes iſte , quid vos , inquit , quisquiliis iſtis facitis , annon ſatius erat , venditis eis , eos libros comparare, qui cum omnibus vobis , tum præcipue quibus concionandi munus demandatum , uſui et ornamento eſſe poſſent ? reſpondi , ſatius quidem futurum , ut ajebat , ſed hoc vereri , ut emtorem invenirent libri tam nihili. Cum rurſum ille : etſi , inquit , membranas has iis , qui libros conglutinant , nummo in ſingulas libras venditandas intellegam , faciam tamen , ut ſolito mihi more pro iis vobis libros cuſos ex optimis quibusque typographicis officinis largiar , ſperans fructum profectus , quem ex eis facient veſtri ordinis homines , etiam ad

me

me redundaturum. Accipimus libenter conditionem, et, ne locus ſit pœnitentiæ, ſtatim cum ille nobis ante caviſſet per præcipuos mercatores urbis noſtræ de novis libris, veteres omnes ſordes in ciſtas quatuor quinque conjecimus, quas ille evexit, miſſis deinde in locum earum iis, quos vides, codicibus. Sic tum monachus ille me fruſtra habuit, ſeque ipſum, et ſuos ante me tamen.

Bene profecto illa res cecidit, licet MODIO, votis fruſtrato ſuis, ſtomachum moverit. Felici enim fato ſic factum eſt, ut iſti codices ac venerandæ antiquitatis monumenta ſqualori ſuo ac imminenti exitio erepta, ab indignis poſſeſſoribus, qui nec ipſi illis ſcite uti, frui poterant, nec aliis, draconum inſtar theſauris incubantium, eorum uſum facile concedebant, ad intelligentem illorum æſtimatorem tranſierint. Longe diverſum priſcisque membranis pernicioſiſſimum ceperant conſilium Monachi illi Colonienſes, quod tamen, eis licet inſciis, laudabili ſolertia ſua feliciter infregit ſtrenuus noſter veteris ævi reliquiarum vindex VFFENBACHIUS, civicam coronam ab republica literaria vel hoc nomine promeritus.

Pari et felicitate et induſtria Abbas Jo. TRITHEMIUS, primus ille a renatis in Occidente literis rei bibliothecariæ in Germania inſtaurator, inſignem codicem, notas ſive ſiglas priſcis Ταχυγράφοις apud Romanos uſitatas continentem, quas ipſe Cice-

Ciceroni tribuit, alii vero rectius Tullio Tironi ejus liberto adſcribunt, vilisſimo pretio ex foedis harpyarum hujusmodi unguibus vindicavit, qui ſcripturam veterem eradere volebant, membranas aliis uſibus deſtinaturi: e quo potiſſimum venerandæ antiquitatis codice notas deinde illas primus in lucem emiſit Janus Gruterus. Haud ingratum, ſpero, erit, ipſam doctiſſimi Abbatis (m) narrationem hic legere, cum aliud etiam lepidum priſtinæ inſcitiæ documentum exhibeat: *Rarus eſt codex, et a me ſemel duntaxat repertus, vilique pretio emptus. Nam cum anno dominicæ nativitatis M. quadringenteſimo nonageſimo ſexto bibliothecas plures librorum amore perluſtrarem, reperi memoratum codicem in quodam ordinis noſtri monaſterio, nimia vetuſtate neglectum, projectum ſub pulvere atque contemptum. Interrogavi abbatem doctorem juris, quanti illum æſtimaret. Reſpondit: Sancti Anshelmi parva opuſcula nuper impreſſa illi præferrem. Ad bibliopolas abii, quoniam in civitate res contigit metropolitana, poſtulata Anshelmi opuſcula pro ſexta floreni parte comparavi, abbati et monachis gaudentibus tradidi, et jam prope interitum actum codicem liberavi. Decreverunt enim pergameni amore radendum. Biennio ferme poſthæc eques*

(m) ex libro VI. Polygraphiæ plag. h. 1. edit. Francof. A. 1550. in 4.

eques Argentinam in cauſis ordinis mei aſcendi, admiſſusque per Joannem KEISERSBERGIUM, inſignem loci concionatorem, in bibliothecam majoris eccleſiæ, Pſalterium reperi totum iisdem Tullii et Cypriani notis exaratum, aureisque capitellis decentiſſime ſcriptum. Superſcriptio autem ab ignaro myſterii talis, fuerat extrinſecus poſita: PSALTERIUM IN ARMENICA LINGUA. Doctorem adhibui, falſitatem oſtendi, ita reſcribendum admonui, PSALTERIUM NOTIS CICERONIANIS DESCRIPTUM. Quod fecerit nec ne, incertum habeo, quoniam ad eam bibliothecam poſtea non ſum reverſus.

Olim ſane aliter cum monaſteriis Germaniæ comparatum erat. Hinc, ne quid de aliis dicam, Carolus ille re et nomine Magnus Imperator, non alia loca tutiora dignioraque, in quæ omnium diſciplinarum ingenii monumenta et beatiſſimæ librorum gazæ, ſanctiſſime adſervandæ, reponerentur, exiſtimavit, quam cœnobia, quæ omnis doctrinæ ac virtutis officinas laudabili conſilio eſſe voluit. Hoc animo Sangallenſe, Laureacenſe et complura monaſteria inſtituit, ac inſignibus bibliothecis locupletavit. Nec infeliciter hoc ipſi ceſſiſſe conſilium, tot literarum monumenta, quæ monachis debemus, clamitant. Imo receperant ſe in cœnobia tanquam in amœniſſimum ſeceſſum Muſæ cum Apolline ſuo, jucundiſſime ibi, ſtrepitu

pitu ac turbis populi procul faceſſere juſſis, habitantes. Factum inde, ut in medio ævo eruditi et rei pariter publicæ ac ſacræ adminiſtrandæ idonei viri non fere niſi in monaſteriis quærendi eſſent; quæ Regibus ac Principibus ſupremos rerum gerendarum adminiſtros, ſcriniorum præfectos, et conſiliarios; eccleſiæ epiſcopos, Cardinales ac Pontifices maximos, Academiis denique et bonarum artium palæſtris profeſſores doctiſſimos ac dexterrimos juventutis bene formandæ magiſtros affatim ſubminiſtravere. Hauriebant vero ii omnes eruditionem ſuam ex bibliothecis, in monaſteriis magno ſtudio cuſtoditis, ac inſigni monachorum, varii generis libris nitide deſcribendis horas ſubceſivas fructuoſe tranſigentium, ſolertia indies augeri ſolitis. Sed quantum mutata ab illo tempore fuit multorum cœnobiorum facies? Quorum inquilini antea bibliothecis inſigniter locupletandis ſtrenuam navabant operam, ii deinde nulli parcebant ſtudio, ut eas vel plane deſtruerent, vel deſertas ſaltem blattis muribusque in ſapidiſſimum relinquerent pabulum, ac denſiſſimo pulvere obrutas ſtudioſorum uſibus ſubducerent, vel etiam pulpita, priſcis bonæ notæ codicibus extruſis ac internecioni datis, libris barbaris inſulſisque onerarent. Vetus eſt hæc querimonia, nec heri demum aut nudius tertius a gnaris

 rerum

rerum æſtimatoribus effuſa. Suo jam ævo præter alios viros probatiſſimos paſſim etiam habuit literator ille celeberrimus, Michael NEANDER, cujus verba notatu digna ex præfatione Erotematum linguæ Græcæ, optimæ frugis pleniſſima (n), hic repetere operæ pretium arbitror. *Monachis ignavis ac indoctis non ſine cauſa quis imputaverit, quod multi boni autores, optimi libri a blattis, tineis, ſitu, ſqualore ac aliis nocumentis et injuriis abſumpti, ſunt amiſſi. Dum enim præter Sententiarios, Lombardiſtas, Occiſtas, Scotiſtas, Summiſtas, Sermoniſtas, Thomiſtas, Scholaſticos doctores, ac qui horum ſectatores erant, Marialia etiam -- Roſaria -- non ſcriptorum aliud genus habebant in manibus, in quibus exercebantur, ſeu excarnificabantur potius, in ſcholis ac monaſteriis quotidie: pereunt interea monumenta veterum Hebræa, Græca ac Latina, non numero ullo comprehendenda, ab ipſis ideo neglecta, quod aſſuefacti ad genus dicendi monſtroſum, ac ipſo ſono formidabile et obſcurum, ubi mugitum citius infernalem quam vocem hominis audire tibi videaris: cum quo res etiam bona corrumpebantur, ut ſolet fieri mutato dicendi genere (dum nove loqui incipimus in Eccleſia ac doctrinam Patrum, Prophetarum, Chriſti, Apoſtolorum,*

(n) quæ præfixa eſt Baſileenſi editioni, A. 1565. a Jo. Oporino curatæ, longeque rariſſimæ, p. 73. ſq.

lorum , ac piorum et orthodoxorum interpretum vitiamus) meliores autores ac utiliora ſcripta nec legerent, nec intelligerent : ut non male quis de monachis illis ſtupidis uſurpet, quod Gellius de ſuæ ætatis hominibus prodidit , ubi (Lib. VI. Cap. IX.) ait: QUIA SECULUM NOSTRUM AB ENNIO ET OMNI BIBLIOTHECA VETERI DESCIVIT, MULTA IGNORAMUS; QUÆ NON LATERENT, SI VETERUM LECTIO NOBIS ESSET FAMILIARIS.

Inficiandum tamen haud eſt , in nonnullis Germaniæ monaſteriis , bono literarum fato et Gallorum exemplo, hodie ſenſim reviviſcere, præſertim in Auſtriacis ditionibus, priſcum illud monachorum ſtudium, quod eximia et cedro digna opera Gotofredi de BESSEL, Abbatis Godwicenſis, Hieronymi ac Bernardi PEZIORUM fratrum, Raymundi DUELLII, Philiberti HUBERI , Marquardi HERRGOTT, Eraſmi FROELICH aliorumque ſatis ſuperque comprobant.

Μισομουσοι autem illi Colonienſes et cæteri, quos dixi, id unice moliebantur, ut membranas, Francofurti venum expoſitas, plane exitio darent. Ignari enim, quid in iis contineretur, veriti eſſe videntur, ne, ſi integros relinquerent codices et conglutinatos adhuc compactosque, inci-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

derent in manus eruditorum, ac forte hoc pacto ſuorum monaſteriorum vel ordinum arcana inconſulto proderentur; diſſolverunt igitur volumina, ac ſingula folia disjuncta, invicemque data opera confuſa, nonnullis etiam retentis abolitisque, in nundinas eo conſilio miſerunt, ut nemini facile niſi bracteatoribus, bibliopegis, aliisque membranarum deſtructoribus uſui eſſe poſſe viderentur. Sed propitia Muſis fortuna haud paucos eorum codicum ab internecione eripuit, inque multo digniores VFFENBACHII noſtri manus feliciter perduxit. Is enim veluti in ſpecula obſervans ſollicite omnem bibliothecam ſuam bonis libris et codicibus MSS. ditandi occaſionem, cum rem hanc peropportune reſciviſſet, mox accurrit anhelus et cupiditate ardens, ac conſpecta illa confuſanea membranarum ſtrue, primum tacite miſeratus iniquam earum ſortem, nec ſine ſtomacho tot egregia volumina a priſtinis et indignis poſſeſſoribus tam male habita aſpiciens, confeſtim ſe accinxit ad perquirendum ſtudioſiſſime, num quid forte in tanta disjectarum membranarum farragine ſua bibliotheca dignum reperiretur. Non autem tenuis fuit labor, ex multis codicum diſſolutorum centenariis ſeligere, quicquid diris harpyarum illarum, quibus omnis illa congeries deſtinata erat, manibus eripi mere-

ret.

ret. Sed librorum amore ductus æqua mente devoravit cunctas moleſtias, ac licet pulveris ſqualore, quo oppleta erant omnia, veſtes maxime conſpurcatas fereque inutiles redderet, cupidiſſime ſingula folia excuſſit, atque ita ex ſordibus atque quisquiliis uniones diligenter conquiſivit. Re autem peracta *non indecoro pulvere ſordidus* (o) receſſit domum herois inſtar de barbarie triumphantis ſpoliis onuſtus, ac poſtmodum jucundo multorum dierum labore ex magno et indigeſto membranarum disjectarum acervo ſollicite congesſit, ac conſarcinavit, quæ iterum jungendæ ſibi invicem erant, philyras, tanquam ſparſa Sibyllæ folia, ſicque auſpicato librariam ſuam ſupellectilem non paucis bonæ notæ codicibus, ab interitu ſervatis, ditiorem ornatioremque reddidit. Erat inter eos præter auctores quosdam antiquos et codices biblicos inſigne quoddam Martyrologium, immenſæ magnitudinis codex, ſæculo XIII. vel certe XIV. in membranas exaratus (p), erant variæ ſanctorum

(o) Horat. Lib. II. Od. I. v. 22.

(p) Codicem hunc recenſuit Vffenbachius in Bibliotheca ſua Manuſcripta, Halæ Hermundurorum A. 1720. in fol. edita, Part. IV. col. 36. ſqq.

vitæ, lectionaria, homiliæ patrum ac nonnulli ſcriptores eccleſiaſtici, erant præſertim præſtantiſſimi epiſtolarum S. Hieronymi, Auguſtini item de civitate Dei, Gregorii Moralium in Jobum aliique codices, auro contra cari, quos vero æquo ſatis pretio ſibi vindicavit, membranis nimirum pondere æſtimatis, ita tamen, ut ſingulis pondo pro formæ diverſitate diverſum ſtatueretur pretium, primæ nempe magnitudinis, duorum florenorum, mediæ, imperialis, infimæ vero, floreni. Ineptæ autem venditorum ſævitiæ tribuendum, quod illorum codicum nonnulli ſint manci ac mutilati.

Jactis ergo tam proſpere bibliothecæ manu exaratæ fundamentis, alacri animo omnem movit lapidem, ut illa indies lætiora caperet incrementa, ac hunc in finem cunctas adhibuit artes machinasque, ſed honeſtiſſimas. Non enim, licet ardentiſſimo librorum conquirendorum deſiderio inflammatus, ex eorum numero fuit vir optimus, qui, modo raros codices, vel, ſi integris potiri nequeant, eorum fragmenta ſibi vindicare poſſint, haud curant, quid fas et jura ſinant, ſed religioni ſibi non ducunt, quicquid ipſis arridet, invitis etiam ac inſciis poſſeſſoribus furtim ſurripere, cultello quoque interdum grandiora volumina inique mutilantes,

tes, ac hujusmodi membranas ſchedasve piceata manu compilatas ſpoliorum Aegypti nomine inſignientes, quod viris quibusdam cæteroqui magnis (jurene an injuria, haud facile dixerim) vitio dari ſolet. Sed non niſi iis cimeliis gaudere voluit literariis vir antiqua virtute ac fide, quibus omnis abeſſet turpitudo et iniquitas. De AUGUSTO, Luneburgenſi Duce, ſummo illo Germaniæ ſui ævi principum decore, hæc inter reliqua memoriæ prodidit ὁ πάνυ CONRINGIVS (q): *In emendis libris ea fuit religione, ut, cum Parlamenti Pariſienſis decreto illa eminentiſſimi Cardinalis Mazarini omnium optima bibliotheca vili pretio diſtraheretur, quamvis eſſent, quæ multum deſideraret, vetuerit tamen princeps quidpiam ejus ſibi emi: ne quid ex illa in omne ævum haud temere excuſanda venditione, quam boni publici amore averſabatur, adveniens ſacra Auguſtæ ſuæ contaminaret. Quam generoſam pietatem priſtinæ poſt felicitati redditus Cardinalis actis gratiis et agnovit et miratus eſt.* Eandem religionem ab Vffenbachio, qua erat animi innocentia, exſpectandam fuiſſe, ſi illo tempore vitali frui aura ipſi contigiſſet, indubitato plane aſſeverare auſim, utpote cui explora-

ƀ 5

(q) in Epiſtola ad Boineburgium de bibliotheca Auguſta p. 202. ſq. collectionis I. Madero-Schmidianæ.

ploratum eſt, quam graviter tulerit, cum aliquando non privatim et in angulo, ſed palam ac in omnium oculis theſaurum ſuum bibliothecæ monaſterii Sangallenſis in bello Toggico direptæ membranis furtim venditis ac vili pretio coemtis locupletaſſe diceretur (r).

Sed honeſtioribus ille modis ſuum reſtinguere ardorem contendit, omnes propterea non tantum bibliothecarum venalium forulos ac receſſus excutiens, verum opificum etiam tabernas ac aromatariorum officinas cupide vel ipſe perreptans, vel emiſſarios ſuos expiſcatum ablegans, vel per amicos quoque exteros paſſim diligentiſſima ſciſcitatione indagans, numquid alicubi theſauro ſuo locupletando idoneum erui, ac exitio eripi poſſet: ſiquidem dictum etiam ſibi putabat, quod ab Attico ſuo quondam flagitavit Tullius (s): *Enitere per amicos, clientes, hoſpites, libertos denique ac ſervos tuos, ut ſcheda ne qua depereat.* Pede igitur fauſto preſſit veſtigia Viri ſummi, Vincentii PINELLI, cujus animam in VFFENBACHIUM transmigraſſe parum abeſſet, quin crederem, ſi

(r) conf. Vitam b. VFFENBACHII continuatam Part. II. p. CXXIII. ſqq.

(s) Lib. I. Epiſt. ult. ad Atticum.

ſi μετεμψύχωσιν Pythagoræam firmo ſtare talo cenſerem. De illius autem βιβλιοφιλία in vita ejus GUALDUS (t) hæc commemorat: *Vt bibliothecam ſuam, quam in oculis ferebat, quotidie locupletaret, hanc ſibi inter alias rationem propoſuerat, ut a literatorum, qui diem nuper obiiſſent, heredibus librorum indices compararet, e quibus omnia ea perdiſceret, quæ ſibi in bibliothecam eſſent transferenda: Quod tamen raro admodum accidit, cum haud æque dominis ac ipſi nota eſſent, quæ in cujusque bibliotheca latitabant. In his vero perquirendis quam fuerit accuratus, declaratum volumus unico hoc exemplo. Vir clariſſimus Venetiis vita functus eſt. Libros aliquot magni nominis MStos ille diu in deliciis habuerat, quos PINELLUS divenditos redemit, et cum ejusdem Bibliothecæ reliquias bibliopola neſcio quis, ſchedas videlicet, atque alia hujus generis coemiſſet in gratiam ſalſamentariorum, re comperta illico hic noſter nobiles illuſtrium virorum epiſtolas perire non eſt paſſus. Emiſſarios ille habebat, quorum induſtria ex Orci faucibus ſæpe ſæpius eripuit inſignium virorum literales labores. Cribrorum, Cymbalorum et Cithararum artifices, quod non modicam vim membranarum in artificium ſuum abſumerent, ſingulis ſaltem menſibus a ſuis conveniri volebat, et id optimo ut plurimum eventu.*

Horum

(t) p. 341. ſq. collectionis Bateſianæ.

Horum probe conſcius Noſter, nec ignorans, quam plurimos egregios codices vel eorum fragmenta iſthac laudabili ſedulitate ab interitu eſſe ſervata; nihil illius rei intermiſit, quo opes ſuas literarias cumulare feliciter et honeſte poſſet. Sic quondam præſentiſſimæ perniciei eripuit eximium Agobardi codicem membranaceum Papirius MASSON, quod ipſemet in dedicatione ejus, poſthac publicæ luci expoſiti, his verbis (u) narrat: *Cum apud vos* (Lugduni ſcilicet) *in vico Mercium libros quærerem, unaque mecum eſſet Stephanus Verdierus nunc mortuus, et apud compactorem librorum verſaremur ejus rei cauſa, illeque Agobardi codicem in membranis perſcriptum veteribus notis, dilaniare paratus eſſet, cultrumque ad eam carnificinam manu teneret, vitam illi redemimus. Quod felix fauſtumque fuit.* Cuſtoditur jam ille codex in bibliotheca regia Pariſienſi, e quo novam editionem adornavit Stephanus BALUZIUS, cum MASSON, qui fidam illi ſævis bibliopegi manibus eripiendo dextram præbuerat, minus fidam eidem in lucem proferendo manum

(u) vid. Menagianorum Tom. III. p. 169. edit. Paris. A. MDCCXV. et P. NICERON *Memoires pour ſervir à l' hiſtoire des hommes illuſtres*, Tom. V. p. 196.

manum admoviſſe videretur (x). Ita quoque Jo. Chriſtoph. WAGENSEILIUS, Vir maximus, ingentis formæ Codicem membranaceum Miſchnicum Ordinis Moed, duplici commentario inedito inſtructum, manibus bibliopegi Noribergenſis, eo ad libros compingendos abuſuri, atque adeo interitui prece pretioque feliciter ſubduxit, teſte Jo. Chriſtoph. WOLFIO, Viro πολυμαθεστάτῳ mihique, dum viveret, amiciſſimo (y). Pari, imo majori felicitate Jacobus quondam SIRMONDUS in itinere per Lotharingiam tranſiens quinquaginta imperialium pretio non paucos Codices manu exaratos bonæ notæ à bibliopego redemit, ac bibliothecæ Collegii Claromontani intulit, ubi ſuis eos luſtravit oculis Paulus COLOMESIUS (z). Ita aliquando præter omnem ſpem atque opinionem Hermannus von der HARDT incidit in varia diplomata antiqua Bonifacii IX. Joannis XXIII. Martini V. Eugenii

(x) vid. *Melange Critique de Litterature recueïlli des converſations de MONS. ANCILLON.* Tom. I. p. 65. edit. Baſil. A. MDCXCVIII.

(y) in Bibliothecæ Hebrææ Parte II. p. 888.

(z) vid. ejus *Recueil de particularitez.* p. 320. edit. Fabric.

nii IV. Concilii Baſileenſis, ſimiliaque, cum ſuis Pontificum dictorum vel Concilii laudati ſigillis, nec ſpernenda alia antiqua MSS. monumenta: in quibus erant Bernhardi Alamandi, Epiſcopi Condomienſis in Gallia, opuſcula haud exigua nec vulgaria de unione Eccleſiæ, tempore Schiſmatis circa annum 1396. ſcripta: quæ omnia in angello delituerant domus viduatæ, ac novo hero nuper inſtructæ, peritura prorſus, aut bibliopegis committenda, niſi æquo pretio redimendi matura ipſi fuiſſet oblata occaſio (a). Hanc fortunam fuiſſe futuram veterum codicum fere omnium, ut ad librorum compactores damnarentur, exiſtimat MABILLONIUS (b), niſi Deus aliam mentem in quorundam ſtudioſorum mentes ſuo potiſſimum et noſtro ævo inſpiraſſet. Hoc animo Matthias Fridericus BECKIUS prædurο bracteatoris malleo proſpere ſubtraxit pervetuſtum illud ac inſigne eccleſiæ Germanicæ Martyrologium, quod deinde e tenebris, in quibus per ſeptingentos annos delituerat, in apricum protulit Auguſtæ

(a) vid. ejus præfat. ad Tom. I. Part. IX. Actorum Concilii Conſtantienſis, p. 502.

(b) in deſcriptione itineris ſui Germanici, p. 1. edit. Fabric.

ſtæ Vindelicorum A. MDCLXXXVII. luculento commentario illuſtratum. Ipſum virum doctiſſimum hujus codicis fata ita exponentem (c) audire haud ingratum fortaſſis fuerit: *Nuperrime membrana hac delituit Argentorati, quo fortaſſis e Trevirenſi vicina, vel alia Eccleſia Germanica, retrolapſis annis vel ſeculis eſt delata. Hinc ante biennium cum multis aliis membranis huc, Auguſtam, eſt advecta, in eum finem comparata, ut aurum argentumque ea involvendum malleo in tenuiſſimas laminas contunderetur: ab incude ergo eripui, et ab inſtante jamjam interitu vindicavi, una cum fragmento Martyrologii Alſaticæ cujusdam Eccleſiæ, Seculo XI. a Carolo quodam Præpoſito fundatæ. Ne vero invento inter quisquilias theſauro tam pretioſo ſolus gauderem, vel tam inſigne Vetuſtatis Monumentum, quod aliquandiu in tenebris delituit, cum blattis decertans, nuper vero a præſentiſſimo periculo liberatum, intercideret, tot jam ſeculis ſuperſtes, publicare, cum omne bonum ſui communicativum ſit, volui.* Codicem autem hunc deinde a beati viri heredibus juſto ſibi pretio vindicatum cum aliis MSS. Beckianis in bibliothecam ſuam inſtructiſſimam ſumus quondam Mæcenas noſter, RAYMUNDUS KRAFFT DE DELLMENSINGEN, grande Reip.

(c) in Commentario de hoc Martyrologio. Cap. IV. T. 7. p. 33.

Reip. Vlmenſis, dum viveret, imo orbis literati decus, intulit (d), in qua noſtris eum, mallei veſtigiis adhuc inſignitum, manibus volvere, oculisque luſtrare nobis olim licuit.

Pari fortuna frui plus ſimplici vice datum Muſis adſpirantibus eſt VFFENBACHIO, qui nulla ex re majorem animo percepit voluptatem, quam ſi quos egregios codices, vel, ſi integros haud liceret, eorum reliquias ſacrilegis hominum abolitionem ipſis minitantium manibus numerata pecunia extorquere, ac in communem literis operantium uſum ſuæ bibliothecæ adjicere poſſet. *Pulcrum* ipſi inprimis hoc etiam ſenſu videbatur, *non pati occidere, quibus æternitas debetur* (e). Carus illi hoc nomine fuit optimæ notæ codex Virgilii membranaceus, ſæculo XIV. exaratus, licet mancus, et Aeneidos duntaxat Lib. II. uſque ad VI. complectens. Tantum ſcilicet Vulcani faucibus eripere potuit; priorem vero ac poſteriores libros piſtor quidam male ſedulus ſpiris coquendis ſuppoſuerat, a quo illud fragmentum cum aliis

(d) vid. ſi placet, Amoenitat. literar. Tom. III. p. 76. ſqq.

(e) C. Plin. Cæcil. Sec. Epiſtol. Libr. V. Ep. VIII.

aliis MSS. quæ pro chartis rejectaneis coemerat, ſibi vindicavit (f). Magni etiam jure æſtimavit volumen membraneum eleganter in forma majori ſcriptum, quod exhibet Acta Concilii Conſtantienſis et Baſileenſis authentica, ſingularia prorſus fata expertum, quæ ipſe hoc modo enarrat (g): *Baſileenſis Concilii juſſu congeſta illa eſſe, ex præfixo patet decreto. Ipſa quoque codicis inſpectio docet, illum circa tempus, quo Concilium Baſileenſe habitum, fuiſſe exaratum et quidem charactere elegantiſſimo. Dolendum autem, Codicem hunc optimum in manus illotas, vel potius profanas nonnullarum Virginum, ut prior Codicis poſſeſſor fide dignus retulit, incidiſſe, quæ margines abſciderunt, ut ſcilicet membranas diſſectas ad operas manuarias (zu Patronen zum Spizen-Klöpplen) adhiberent. Quod cum inter triſtia et ſingularia plane veterum Codicum atque librorum fata detrimentaque omnino ſit numerandum, non parum tamen gaudendum, quod textus vel ſcriptura illæſa manſerit, ſi pauca excipias folia, ubi forfex unicam in fine lineam vel ultimas ſaltim litteras in margine abſtulit, quæ tamen facile ex contextu vel veſtigiis, quæ reſtant, ſuppleri vel reſtitui poſſunt.*

(f) vid. Bibliothecæ Vffenbachianæ univerſalis Tom. III. p. 117.

(g) l. c. p. 532. ſq.

Superioribus ſæculis valde uſitatum erat, codicum MSS. membranas ac diplomata etiam ad librorum involucra adhibere: ſollicitis igitur oculis iſtiusmodi volumina contemplari ſolebat VFFENBACHIUS, ac ſi quod involucrum vel ſcripturæ vetuſtas vel argumenti dignitas commendaret, illud libro detractum bibliothecæ ſuæ manuſcriptæ inferre. Non pauca ſagaci hoc ſtudio ab interitu vindicavit diplomata boni commatis, ac præterea ex veterum hujusmodi codicum membranaceorum fragmentis, quæ ceu tabulas e naufragio ſervatas æſtimavit, integrum majoris formæ volumen compingendum curavit, in quo inter cætera occurrit folium unicum, a codice quodam præſtantiſſimo, qui ſæculo octavo vel certe initio noni exaratus videtur, avulſum, cujus character majusculus, rotundus atque antiquiſſimus eſt, argumentum vero ſacrum, fragmentum quippe patris cujusdam eccleſiæ antiquioris, ab illotis bibliopegi manibus ex optimo quodam codice decerptum, et ad librum quendam compingendum adhibitum. Hujus dum in catalogo ſuo (h) meminit ὁ μακαρίτης, hæc adjicit: *Quot volumina vett. præſtantiſſima ab hoc hominum genere non fuerunt corrupta, et ad profanos*

(h) l. c. p. 513. ſq.

profanos uſus uſurpata ? ſi hujus loci eſſet bene multos enarrare poſſem Codices , quos Bracteatorum ac Bibliopegorum manibus ereptos ab interitu vindicavi. Utinam præſentem , de quo jam dixi , integrum ſervare licuiſſet ! Ob venerandam certe vetuſtatem et hoc fragmentum aſſervandum duxi.

Olim jam eodem modo Henricus STEPHANUS, cum in Italiæ bibliothecis venaticam, uti loqui amabat (i) artem cupidiſſime exerceret , in ipſo propemodum venationis hujus tirocinio in libri cujusdam veteris involucro primus invenit (k) Anacreontis oden λεγουσιν αἱ γυναικες , cum antehac nullum plane ſuaviſſimi hujus poetæ carmen præter ea, quæ ab A. Gellio ac in Anthologia epigrammatum Græcorum conſervata ſunt , cuiquam viſum eſſet. Captus autem ejus dulcedine, ſummo ſe incenſum deſiderio plura ejus poemata nanciſcendi ſenſit , votique deinde ſui damnatus, illius, quæ hodie extant, carmina, verſione Latina inſtructa, primus edidit.

(i) conf. Schediasmatum ejus variorum, A. 1589. excuſorum, Lib. VI. p. 273.
(k) vid. Bailii Diction. Tom. I. f. 204. edit. Roterod. III.

Ita quoque dignum cenſuit, quod inter præcipua bibliothecæ Ducis Mutinenſis Manuſcripta, in itinere ſuo Italico obſervata, commemoraret MONTFAUCONIUS (l) Chryſippi, diſcipuli magni illius cœnobiarchæ Euthymii, in Joannem encomium, extans in duobus foliis, ad compacturam recentioris manuſcripti uſurpatis, et charactere unciali ſæculi IX. exaratum. Simili ratione Joannes Enſchede Donati, inter prima typographicæ artis rudimenta omnium rariſſimi, fragmentis auſpicato potitus eſt, de quo audire juvat Jo. Chriſtianum SEIZIUM (m), ita ſcribentem: *Eo ipſo momento, quo hæcce ultima de Haerlemo agens plagula prelo parabatur, urbis ejusdem typographus Joannes Enſchede ex auctione librorum die 16. Julii 1740. obtinuit Pſalterium Belgicum in parvo Octavo, impreſſum Delphis in Hollandia apud Henr. Eckert van Homberch A. 1498. ligatura pervetuſta ex corio. Libro iſto diligentius inſpecto, forte fortuna in ligaturæ tabulis conſpexit duas lacinias membranæ, tabulis iſtis adglutinatas, in quibus quædam literis valde rudibus et deformibus erant impreſſa. Laciniis ergo dictis membranaceis abſtractis, deprehendebat,*

(l) in Diario Italico, Cap. III. p. 32.
(m) in Hiſtorica Enarratione de Inventione nobiliſſimæ artis typographicæ, p. 110. ſqq.

hendebat, ea, quæ in iis impreſſa extabant, eſſe reliquias Donati alicujus, ſeu Rudimentorum Latinorum. Res monſtro ſimilis erat, gaudioque quaſi attonitus ad nos accurrit, ut in eam accuratius inquireremus. Manifeſtum erat ex ipſis verbis, ea eſſe Libri ejusmodi; literis vero probe examinatis, nobis oppido liquebat, eas eſſe ejusdem formæ et fabricæ, rudiores tamen adhuc, ac illas primi Speculi Salutis Belgici, Laurentii Coſteri. Ecce, alter alteri dicebamus ſtupentibus ſimiles, rerum teſtimonium ejus, quod auctor Chronici Colonienſ. et Mariangelus Accurſius de Donato olim in Hollandia impreſſo, antequam Moguntiæ adhucdum libri imprimerentur, aſſeruerunt. Quodſi, pergebamus, Scriverius quondam in hanc incidiſſet fortunam, profecto præ gaudio nimio ſui vix compos fuiſſet futurus. Is enim vel ad extremos Indos ob id iter facere paratum ſe teſtatus eſt Carmine LAUREKRANS. Duas iſtas lacinias, quas æri inciſas ſuo inſeruit libro Seizius, dictus typographus Senatui civitatis Haerlemenſis dono deinde obtulit, ubi earundem in curia inter reliquas typographicæ artis primitias conſpiciendarum jam copia eſt.

Hæc autem ſingula propterea volumus monita, ut induſtrii Muſarum filii, his exemplis excitati, quicquid reliquiarum e funeſta illa clade, quam bonis codicibus librisque nunc rariſſimis majorum noſtrorum incuria ac ſuperioris ævi barbaries intulit,

 tulit,

tulit, ſupereſt, his aliisque modis internecioni ſubtrahere ſtudioſe connitantur.

Non vero tantum omni animi niſu et exoptato ſucceſſu intentus fuit Vffenbachius veteribus recentioribusque membranis, verum chartaceis etiam codicibus, variisque eruditorum ſchedis ac præſertim epiſtolis in ſuam bibliothecam rei literariæ bono undecunque comportandis. Penitus perſpecta ipſi erant omnia honeſta rei literariæ ſtratagemata et artificia, quibus ſæpe exiguo pretio impetrari poterant, quæ peritis eorum poſſeſſoribus prece etiam ſupplici et optimo rerum gerendarum nervo pecunia, cui omnia alias ſunt pervia, vix extorſiſſes. Incidunt ſubinde pretioſiſſimæ ſummorum virorum ſchedæ, queis nihil ipſis erat carius, in heredes indignos et ἀμύσους, quibus auri argentique ac ſupellectilis pretioſæ viliorisque potior cura eſſe ſolet, quam librorum et ſchedarum, quas quisquiliarum loco habent, ac vel in obſcuros projiciunt angulos, ut murium ac tinearum condimenta ſordidique pulveris receptacula evadant, vel conclavia et ſcrinia, iis ſollicite adſervandis antehac deſtinata, hoc onere levaturi, paulatim ad uſus domeſticos, nonnunquam etiam ſordidiſſimos, adhibent, aut viliſſimo pretio ceu chartas rejectaneas ac emporeticas divendunt.

Quot,

Quot, quæſo, exquiſitiſſimæ lucubrationes ac ſchedæ æternitate dignæ, miſerando hoc fato interceptæ, indignum in modum perierunt, ad aromatarios, tragematopolas, ſalſamentarios ac ipſas mulierculas, caſeorum halecumve venditrices, relegatæ, ab iisque in thuris piperisque cucullos ac aliarum mercium tunicas adhibitæ? Non grave igitur erat VFFENBACHIO, interdum abire, vel alios ſpeculatum mittere

in vicum vendentem thus et odores,
et piper, et quicquid chartis amicitur ineptis,

Haud enim incognitum ipſi erat, hoc etiam ſtudio ſervari nonnunquam ab imminenti exitio præcellentium ingeniorum monumenta poſſe.

Licet autem Noſter hoc inquirendi ſtudio ſæpiuscule nihil profecerit, quandoque tamen ejus votis fortuna reſpondit, eique in magno hujusmodi chartarum acervo quasdam optimæ notæ ſchedas ac celebrium virorum epiſtolas, quibus nihil illi erat jucundius, obtulit. Præprimis non mediocrem percepit lætitiam, cum aliquando Hiſtoriæ Æthiopicæ Ludolfianæ exemplum, ab ipſo illuſtri auctore emendatum et hinc inde auctum, ex multis aliis chartis rejectaneis, quas filius poſt optimi

parentis mortem aromatopolæ vendiderat, ab interitu vindicare ſibi liceret.

Adeptus quoque feliciter eſt plurima edicta aliaque ſtatuta Electoralia Palatina, quæ LUDOLFUS, dum in aula illa adhuc verſaretur, collegerat. His autem miro plane caſu potitus eſt. Rediens nimirum aliquando e prædio generoſiſſimi Affinis a LINDTHEIMB, Conſiliarii Cæſarei, in campo prope urbem, qui a patibulo in hac regione ſito nomen habet (*Galgen-Feld*) animadvertit, homines nonnullos ingentem variarum chartarum, quas curru advexerant, cumulum concremare. Jubet rhedarium rhedam, qua vehebatur, ſiſtere, ac poſtquam ex ea deſcenderat, inquirit, cujus juſſu et quare has chartas comburerent? Narrant, heredes Ludolfianos tantam ſchedarum, tum manu, tum typis exaratarum, copiam poſt obitum B. LUDOLFI reperiſſe, ut eas perſcrutari atque ſeligere nimis tædioſum, aliis vero easdem permittere periculoſum duxerint, cum defunctus ninutiſſima quævis in domeſticis annotare, ut tenaciores aſſolent, conſueverit, ideoque facile in illis deprehendi potuerint, quæ tum ipſi defuncto, tum familiæ dedecori atque detrimento eſſe poſſent: ſatius igitur duxiſſe, haſce quisquilias Vulcano tradere. Indignabatur ſane Noſter maximeque

que dolebat, quod non modo utilia multa impreſſa, quod ex iis, quæ perniciei eripuit, conjiciebat, ſed ingentem etiam epiſtolarum, aliorumque ſcriptorum Ludolfianorum numerum periiſſe intelligebat. Hæc certe jactura eo major, quod cum LUDOLFO cum omnibus fere ſui temporis viris eruditis magnum literarum etiam in remotiſſimis terris fuerit commercium, illud volumen, ac quinque epiſtolarum faſciculi, qui in Bibliotheca Francofurtenſi publica extant, vix quartam epiſtolici commercii partem conficere queant.

Incomparabilem virum, Michaelem HOSPITALIUM, elegantiſſimum fuiſſe poetam ac dexterrimum Horatii imitatorem, carmina ejus, quæ SERMONES ſeu EPISTOLAS inſcripſit, plus ſimplici vice edita evincunt. Factum hinc eſt, ut illius Satyra de lite a doctiſſimis quibusdam viris pro veteris alicujus poetæ opere habita ſit. Inciderunt vero negligentia heredum nonnulla ſummi viri poemata, ipſo ejus calamo exarata, et nondum, quod ego quidem ſciam, publicæ luci expoſita, in ſordidas cujusdam limbolarii, promercales limbos ſuos iis involuturi, manus, e quibus illa feliciter eripuit Pe-

trus PITHOEUS (n). Pariter doctiſſimorum Rabbinorum ex Italia et Germania MSS. epiſtolæ, quæ tempore editionis Talmud Baſileam ad Correctorem Judaicum miſſæ ſunt, tandem ſingulari fato ex aromatariorum officinis ad BUXTORFII ſenioris manus pervenerunt, ab ipſo dein publicæ luci expoſitæ, ſed nunc rariſſimæ (o).

Quænam fuerint fata epiſtolarum, ad Antonium PERRENOTUM, Cardinalem Granvellanum famigeratiſſimum, quondam undique de graviſſimis negotiis miſſarum, aliorumque monumentorum præſtantiſſimorum, ab ipſo ſollicite conſervatorum, Bernardus DE LA MONNOYE nos edocet (p). Nimirum ille ſummus rerum gerendarum in aula Caroli V. Imp. ac Philippi II. Hiſp. Reg. adminiſter magno eas omnes ſtudio cum multis ſuarum de gravioris momenti rebus reſponſionum apogra-

(n) vid. Pauli Colomeſii *Bibliotheque Choiſie*, p. 418. Operum ejus junctim a. b. J. A. Fabricio editorum.

(o) vid. Buxtorfii epiſtolam dedicatoriam ejus inſtitutioni epiſtolari Hebraicæ præmiſſam.

(p) Menagian. Tom. I. p. 3. ſqq.

apographis adſervare ſolitus, immenſam earum, variis linguis exaratarum, ac notis paſſim margini adjectis inſignitarum copiam, haud paucis incluſam arcis, in palatio ſuo Biſuntinenſi reliquit. Præclara autem hæc aliaque monumenta non multo poſt ejus mortem in ſubtegulaneum tabulatum fuere rejecta, ac muribus in lautiſſimam eſcam relicta. Abutebantur iis varie, quicunque volebant: pars vendebatur aromatariis, pars ad ſordidiſſimos adhibebatur uſus. Hoc animadvertentes eruditi quidam viri, quæcunque poterant, tanquam triſtes e naufragio tabulas ab interitu vindicare inter ſe certabant. Plerisque tandem potitus eſt Jo. Baptiſta BOISOTUS, Abbas S. Vincentii Biſuntinenſis. Vidit et miratus eſt eum theſaurum MABILLONIUS, illumque magnifico Granvellani palatio præferre non dubitavit (q). Quantum arcanorum ad hiſtoriam ejus

(q) in Itineris Germanici deſcriptione p. 6. ſq. Joach. Frid. Fellerus apoſpasmatia quædam ex epiſtolis Abbatis Boiſoti ad Paul. Peliſſonium in Miſcellaneis Leibnitianis p. 358. 364. et 401. exhibuit, e quibus etiam de Granvellani iſtius theſauri præſtantia judicium ferri poteſt. conf. l. c. p. 67. ſq. add. P. Niceron

ejus ævi illuſtrandam facientium in illis monumentis contineatur, vel ex Franciſci de VARGAS, Petri MALVENDÆ aliorumque Hiſpanorum epiſtolis ad Granvellanum de rebus Concilii Tridentini ſcriptis, et Mich. VASSORII ſtudio e bibliotheca Trumbulli, Equitis Angli, evulgatis judicari poteſt, quas itidem a myropola redemtas eſſe nullum fere mihi eſt dubium.

Eadem propemodum fata paſſæ ſunt variæ ſchedæ et commercium epiſtolicum Jo. Henrici BOECLERI ac Matthiæ BERNEGGERI, duumvirorum illuſtrium. Schedas enim illas et epiſtolas duobus cophinis promiſcue injectas a Leerſio bibliopola Argentoratenſi chartarum rejectanearum inſtar emit VFFENBACHIUS. Multæ autem earum, præſertim quas BONGARSIUS ſcripſit, ita erant madidæ, ſituque longo et ſenio tam male affectæ, ut nonnullarum, cum attingerentur, fruſta in manibus ipſi hæſerint: inque iis ſeligendis ac in ordinem redigendis tantas vir optimus per aliquot menſes ſuſtinuit moleſtias, ut parum abfuerit, quin hinc in morbum incideret. Contigit autem tum hac

ceron *Memoires pour ſervir à l' Hiſtoire des Hommes illuſtres*, Tom. V. p. 376. 381.

hac occaſione, tum alias ipſi, quod avaris et auri ſacra fame laborantibus, a quorum ſordidis moribus cæteroquin liberale ejus ingenium abhorrebat, accidere ſolet, quibus lucri bonus odor ex re qualibet enaſcitur. Tam enim inexplebile librorum ac ſchedarum utilium illum ceperat deſiderium, ut nulla id difficultate, nullo pulveris inde abſorbendi ac fœtoris hauriendi tædio extingui et vel tantillum minui potuerit. Suo etiam exemplo teſtatiſſimum fecit, verum eſſe, quod dixit Symmachus (r): *Quemadmodum difficilis eſt ſatietas rerum bonarum, ita inprimis librorum.* Plurimos enim cum poſſideret, plures tamen petiit.

Cordi hinc etiam ipſi erat, nanciſci catalogos bibliothecarum inſtructiorum, non editos tantum, ſed et, ſi fieri poſſet, typis haud excuſos, licet illæ bibliothecæ vel jam divenditæ, vel inter heredes diſtributæ eſſent. Sæpe namque ita illi licuit eſſe felici, ut exoptatos ſedulæ inveſtigationis perceperit fructus, atque rariores codices ab heredibus vel primis, vel ſecundis, vel tertiis, aut iis quoque, qui illos emerant, acquiſiverit. Præterea honeſto, quod vocabat, commercio literario

(r) Lib. IV. Epiſt. XVI.

rio bibliothecæ ſuæ copias inſigniter adauxit (s). Scilicet, ſi quis liber egregius ipſi obvenit, licet jam poſſideret, conſulto coemit: per amanuenſes quoque MStorum ſuorum rariorum apographa fieri juſſit, ut in promtu eſſent, quæ amicis honeſtam permutationem haud reſpuentibus offerre poſſet.

Non vero in his tantum acquievit erudita ejus cupiditas, ſed ſub anni MDCCIV. exitum ſe quoque ad alia oculorum mentisque pabula extendere cœpit. Induſtrie ſcilicet colligere inſtituit virorum clarorum imagines vel ære excuſas, vel ligneis formis expreſſas, earum ſeriem ſecundum facultates, quas vocant, et ſæcula, quibus quisque floruit, ſolerter adornaturus. Amœnum hoc inſtitutum illum ad extremum uſque morbum eſſe perſecutum inde novi, quod paulo ante eum id mihi negotii impoſuerit, ut in noſtris oris ac præſertim Auguſtæ Vindelicorum quasdam hujusmodi iconas, quarum mihi indicem transmiſit, ipſi, ſi fieri poſſit, compararem. Earum quoque non paucas mihi nanciſci licuit, quæ tamen in manus ejus, proh dolor! rebus interea mortalium exemti,

(s) conf. ſingularem hac de re obſervationem in Part. I. p. 111. ſqq.

emti, haud pervenerunt. Ex tam diuturno autem τȣ μακαρίτȣ in his deliciis conquirendis ſtudio facile auguror, inſignem illarum apparatum ab eo congeſtum. Neque iſthoc conſilium imprudenter cepit. Cum enim ingenti hiſtoriæ literariæ cognoſcendæ fervore a primis ſtudiorum fere incunabulis eſſet inflammatus, recte cenſuit, ex ſtudioſa illarum contemplatione non minus utilitatis, quam eruditæ oblectationis hauriri poſſe. Nam quid, quæſo, jucundius, quam quorum ingenii ſimulacra, ſcripta nimirum, in deliciis habemus, eorum etiam vultus et corporis habitum, quantum fieri poteſt, cognoſcere? *Illa ſiquidem*, judice Clar. LILIENTHALIO (ſ), *imaginum vis ac virtus plane admirabilis eſt, qua rerum hominumque non appellationes duntaxat ac elogia, ſed vultum ipſum, ipſa ora, ipſa rerum geſtarum monumenta, non inſiguntur animo ſolum, verum ante oculos etiam ponuntur.* Præ cæteris autem jucunde afficiebatur illis, quæ vivis adhuc atque conſciis iis et approbantibus, quos repræſentant, effictæ a peritis artificibus ſunt, quales nativam eorum faciem affabre referre, conjectura valde probabili exiſtimare

re

(ſ) in eximia conſultatione de hiſtoria literaria certæ cujusdam gentis ſcribenda, ſect. III. Cap. II. p. 110.

re poterat. Si quas igitur noverat feliciter expreſſas, intentioribus illas oculis ſæpius animi relaxandi ergo contemplari ſolebat, et ex vultu ac lineamentis habituque corporis animi indicia perite colligere. Quem, quæſo, non impenſe delectet viri magni imago tam exacte effigurata, quam illa politiſſimi Caſparis BARLÆI, de qua ipſa ejus verba huc transferre juvat. Ita vero ille in epiſtola ad Godofridum de Hæſtrecht A. 1625. d. 20. Febr. (t) *Transmitto ad te effigiem ejus hominis, quem amicis tuis accenſere jampridem dignatus es, hoc eſt, Barlæi tui. Non delineavit eam indocta ac rudis dextera, ſed manus artificioſiſſimi pictoris noſtri Davidis Bailly. Sexies, et amplius ſellam ſumma patientia preſſi, et vultum ad quietem et gravitatem compoſui. Non perfunctorie imaginem hanc tractavit author, ſed cura et diligentia incredibili, qualem adhibuiſſe opinor Apellem, cum Venerem pingeret ἀναδυομένην. Ipſe judica, non ovum ovo, aut ficus ficui ſimilior. Aut male calculum poſui, aut perplacebit tibi hoc vultus noſtri ectypon. Quotquot hic viderunt, ſtupent, et linguis favent: niſi tu quid, docte virorum, diſſentias. Unum peto, ne optima pictoris cœpta perdat nequam ſculptoris manus. Suadet ſerio pictor Bailly, ut exſculpi imaginem cures Delphis a Wilhelmo*

(t) vid. ejus Epiſtolarum Part. I. p. 125. ſq.

Wilhelmo Jacobi chalcographo celebri et laudato. Forte minori pretio operam Criſpini Pas redimes; ſed non curat alta mente præditus Cato, quot ſolvat aſſes &c. Sculptorem quoque partibus ſuis haud defuiſſe, ex alia ad eundem epiſtola colligo. Si enim male res cecidiſſet, profecto non abſtinuiſſet a querelis Barlæus, homo cæteroqui ſatis ad eas proclivis. Audiamus vero ipſum (u): *Munus illud tuum grato animo exoſculor. Donaſti me mihi, ectypon prototypo ſuo. At ego non æreum tibi Barlæum, ſed illum ipſum offero, qui humanitatem tuam cum ſumma animi magnitudine conjunctam colit ac veneratur. Nec offero ſolum, ſed eundem totum tibi mancipo, non ante emancipandum, quam corporis ergaſtulo animulam hanc emancipaverit vitæ necisque arbiter. Dignus es, quem docti omnes ament, qui ſemipaganum poetam tantis honoribus condecoras.* Emmanuelem MARTINUM, fulgidiſſimum illud Hiſpaniæ ſuæ lumen, tanta veteris rei numismaticæ cognitione inſtructum fuiſſe refert elegantiſſimus Gregorius MAIANSIUS (x), ut non ſemel dixerit, haud inani ſui fiducia elatus, ſed ſuæ conſcientiæ teſtimonio fretus, ſe, ſi Imperator aliquis imperii alti, quod in Gallienum definit, re-

(u) l. c. p. 128.
(x) in ejus vita, Epiſtolis illius præmiſſa, p. 22. edit. Amſtelod. A. MDCCXVIII.

reviviſceret, deſignaturum illum, manuque prehenſurum, vel ſi occultare ſe vellet inter multa hominum millia. Eandem vim ad penitiorem eruditorum virorum notitiam conſequendam imagines eorum æneis tabulis accurate expreſſas habere ſi dixero, haud fallar. Avide igitur illis inhiabat ſagax rerum arbiter VFFENBACHIUS, magnoque eas cum fructu et voluptate diligenter verſabat. Reliquas, quas nil minus quam eorum, quorum eſſe perhibentur, facies referre noverat, flocci habebat, tanquam tenellis potius puſionibus ad tempus fallendum, quam viris gravibus uſui futuras. Et quis, ſodes, multum tribuat iconibus tam negligenter et inconcinne effictis, ac ſuam eſſe teſtatur Petrus Daniel HUETIUS (y), in limine olim Demonſtrationis Evangelicæ, Thomæ Fritſchii ſumtibus Lipſiæ recuſæ, additam, quam ut conſpexit, non quidem προσωπὸν τηλαυγὲς præfixum operi, uti fieri amat, ſed ruſticanam et ſubabſurdam faciem ſibi tributam ſe comperiſſe ſcribit, qualis eſſet agaſonis aut bajuli.

Plurimum vero honeſtiſſimæ voluptatis et

(y) in Commentario de rebus ad eum pertinentibus p. 399. ſq. edit. Amſtelod. A. MDCCXVIII.

et recreationis animo ſuo, gravioribus ſtudiis ac negotiis fatigato, ex imaginum, quantum fieri poteſt, exacte expreſſarum contemplatione enatum ſæpe eſſe in ſchedis ſuis teſtatum reliquit VFFENBACHIUS, id ipſum quoque ſe expertum, cum illuſtrium virorum effigies fixis cerneret oculis, aſſerens, quod Scipio dicere ſolebat, eas magna eſſe incitamenta animorum, ingeniisque ad virtutem et gloriam natis calcar ex his addi. Suo præterea exemplo ſe fatebatur edoctum, imaginum contuitu mirifice juvari memoriam. Hunc in finem, teſte GASSENDO (z), habere etiam PEIRESCIUS adhuc adoleſcens curavit icones celebriorum JCtorum, ut, cum in illorum reſponſa interpretationesque incideret, fieret memoria tenacior ex concepto cujusque vultu. Firmius enim menti infiguntur tam nomina, quam res geſtæ et præcipua eruditorum fata diligenti iconum conſideratione, ſi illæ præſertim ſingulare quid præ ſe ferant. Sic nunquam ſibi memoria excidiſſe ajebat Hieronymum CAPIVACCIUM, Medicum Patavinum, Joannem Baptiſtam MASCULUM, Soc. Jeſ. Neapolitanum, qui de incendio Veſuviano et Lyricorum libros XV. aliaque ſcripſit, Gabrielem CHIA-

 BRE-

(z) in vita Peireſcii p. 22.

BRERAM, elegantiſſimum poetam, quem Itali Pindarum Savonenſem appellitant, et Camillum PELLEGRINUM, hiſtoriæ Principum Longobardorum aliorumque operum auctorem (a), quorum facies conſpicillo naribus impoſito ornata vel onerata potius æri incidi ſolet, nunquam horridum MAGLIABECCHII vultum, nunquam infelicis Pandulphi COLLENUTII (b), laqueo torquis inſtar decorati effigiem, nunquam naſutas Hermanni VULTEJI et Balthaſaris BECKERI facies, nunquam imaginem SLEIDANI unoculam, nunquam iconem Franciſci HOTOMANNI ceu demortui et jamjam ad feretrum compoſiti a Jo. Jac. BOISSARDO repræſentatam, nunquam Hadrianum JUNIUM oculis

(a) Tres poſteriores ita repræſentantur a Laurentio CRASSO in virorum eruditorum Elogiis Italice Venetiis A. MDCLXVI. in 4. evulgatis: Maſculus quidem Tom. I. p. 351. Chiabrera autem Tom. II. p. 155. et Pellegrinus p. 301.

(b) præmiſſa eſt ejus Hiſtoriæ Neapolitanæ, in Latinum ſermonem ex Italico a Jo. Nicol. Stupano converſæ, excuſæ Baſileæ A. 1572. Inſerta quoque iconibus Reuſnerianis.

oculis clauſis ab eodem exhibitum, nunquam, ne quid de aliis dicam, invictum heroem, Ulricum HUTTENUM, loricatum pariter et laurea coronatum, ceu virum et arte et Marte (rumpantur ut ilia noſtri propudio ſæculi, Weislingero Huttenomaſtigi lutulento) illuſtriſſimum.

Quamvis autem imaginibus virorum celebrium æri vel ligno inciſis congerendis tam ſedulam ac diuturnam navavit operam VFFENBACHIUS, conſulto tamen abſtinuit a collectione iconum; pictorum penicillo coloribus expreſſarum, non quod eas contemneret, ſed ut nummis parceret ſuis, quos libris potius et codicibus manu exaratis coemendis impendere provide conſtituerat. Quas vero primum cum cæteris diligenter conquiſiverat, ſculptas principum ac ſagatorum heroum effigies deinde generoſiſſimo fratri lubens conceſſit, ſibi unice pinacothecam imaginum virorum literis illuſtrium ſtrenue in dies locupletandam reſervans. Ipſemet autem, licet ſtudioſus ejusmodi elegantiarum amator, vix tandem ſuorum precibus adactus conceſſit, ut facies ejus artificis manu depingeretur; ſed ut ære excudi illam permitteret, nunquam adduci potuit, etſi divina benignitate liberali compoſitoque vultu conſpicuus eſſet. Diſerte enim te-

 ſta-

ſtatum in ſchedis ſuis voluit, ſe ſibi nunquam perſuaderi paſſum, ut tuguriolum illud (ipſa viri modeſtiſſimi verba legis) cujus hoſpitem animus ejus egit, æri exprimendum vel ſculpendum dederit.

Potior illi cura erat bibliothecæ amplificandæ, cujus gratia anno MDCCV. omnes bibliopolarum Francofurtenſium tabernas diligentiſſime ipſemet excuſſit, experientia, optima rerum magiſtra, edoctus, librorum indicibus, ab illis hominibus confectis, parum tribui poſſe, cum ſæpenumero in catalogis ſuis, quos *Juventaria* vocant, librorum titulos, qua multi eorum ſunt imperitia, ineptiſſime exhibeant. Sic improbo quidem atque moleſtiſſimo labore defunctus eſt, ſed qui ſuis non carebat utilitatibus. Hac etenim ratione multa eruditorum opera, quæ manu ſua volvebat ac revolvebat, penitius cognoſcere ipſi licuit, non frontiſpicia tantum eorum intuendo, ſed ipſam quoque illorum œconomiam et contenta, methodumque ac rationem ſcriptionis conſiderando. Hac induſtria haud parum in librorum ac rerum utilium notitia profecit, cumque librorum tituli ſubinde ſoleant eſſe obſcuri, metaphorici, jactabundi ac luxuriantes, ſæpeque rubrum nigro plane non reſpondeat, iſthac eorum perluſtra-

luſtratione ſolidius de illis judicium ferre, ac non corticem ſolum, ſed ipſum etiam nucleum compertum ſibi reddere didicit. Plurimis igitur tum bibliothecam ſuam inſtruxit voluminibus, ex officinis bibliopolarum redemtis, ac, magno licet impendio et labore, exquiſitam rei librariæ ac literariæ peritiam, quam mirati in ipſo ſunt literatores maximi, hoc etiam pacto luculentur adauxit. Hujus enim ſtudii amœnitate per omnem vitam delectatus ſummopere, nunquam finem illi impoſuit, nunquam ad ſupremum ejus faſtigium ſe perveniſſe ratus, quo neminem mortalium, licet ſtudioſiſſimum ac omnibus ſubſidiis longe inſtructiſſimum, ob immenſam illius amplitudinem penetrare poſſe cenſuit.

Haudquaquam autem cæco impetu opes ſuas librarias amplificare ſatagebat noſter, non loculamentorum explendorum ac vanæ inutilisque pompæ cauſa libros tantis conquirens ſumtibus, ſed ut ſibi aliisque proficui eſſent. Abhorrebat enim vir prudentiſſimus ab eorum moribus, qui, ſicuti PETRARCHA de ſui ævi magnatibus conqueritur, libros non utendi ſtudio cumulant, ſed habendi libidine, neque tam ut ingenii præſidium, quam ut thalami ornamentum. Minime erat ex eorum or-

dine, *qui*, ut verbis b. MEUSCHENII (c) utar, *emunt ſcripta, quæ ipſos latent, quorum contenta neſciunt, quorum literis falluntur, quorum uſus eos fugit, quorum auctores illis ſunt Africa nomina, nunquam ſæpe antea audita, vel tantum ab aliis ex eodem ſemidoctorum genere commendata.* De cujus farinæ hominibus ita idem exclamat: *Bone Deus! quot ubique terrarum reperiuntur hujus generis homines, elegantiſſimis inſtructiſſimiſque ſæpe Bibliothecis ſuperbientes, quibus tamen nunquam utuntur, quarum libros per univerſam ætatem ne ſemel, fugitivo licet oculo, inſpiciunt, imo quos ipſimet ne quidem norunt. Iſtiusmodi homines Tantalo ſimiles eſſe videntur, ſitientes in mediis ſapientiæ undis. Ludovicus XI. Galliarum Rex, ut G. SALDENVS (de libris cap. VIII. p. 222.) refert, eos facete comparavit gibboſis; nam cum de illiterato quodam audiviſſet, quod inſignem multisque libris refertam Bibliothecam haberet, dicebat: Homo ille gibboſo mihi ſimilis videtur, quia licet magnum geſtet in tergo gibbi onus, numquam tamen id intuetur.*

Varie autem ſe primum in adornanda ſua bibliotheca juvenili quodam fervore abre-

(c) in egregia præfatione de vana librorum pompa, Th. BARTHOLINI de libris legendis diſſertationibus, Francofurti A. MDCCXI. recuſis præmiſſa. §. 3. et 6.

abreptum peccaſſe ingenue poſtmodum fatebatur, poſtquam, ipſa experientia duce ac teſte, meliora didicerat. Videlicet principio non certos ſibi limites fixerat, intra quos ſe potiſſimum contineret animus librorum habendorum cupidiſſimus, ſed in omne ſe eorum genus laxis habenis diffundere cœpit. Agnovit autem poſtea, vaſtiſſimum hunc campum ingreſſus, Crœſi etiam gazas ſic tandem exhauriri poſſe. Prudens igitur ac damno ſuo eruditus mutavit tempore procedente mentem, ac præ cæteris libros hiſtorico-politicos, illos item, qui ad rei literariæ notitiam ſpectant, quique ſunt paulo poſt prima artis typographicæ incunabula typis exſcripti, præterea rarius obvios ac eos præſertim, quos prohibitos vulgo vocant, Deductiones inſuper cauſarum illuſtrium, Diſſertationes academicas, variarum linguarum Biblia, ſcripta ad res Francofurtanas ſpectantia, et denique codices, calamo exaratos, et libros manu virorum doctorum notatos, quanta poſſet induſtria colligere decrevit, haud tamen plane neglectis aliorum generum libris. Audiamus ipſum virum ſummum, hac de re ita diu poſt (d) differentem: *Conſilium*

(d) in præfatione tomi I. bibliothecæ Vffenbachianæ univerſalis.

equidem erat initio collectionis meæ, ex univerſis ſcientiis libros comparare; experientia autem didici, imprudens ac impoſſibile plane illud ipſum eſſe, niſi ex omnibus, ut in proverbio eſt, aliquid, in toto nihil comparare pulchrum alicui videatur. Animadverti enim, quanto labore ac quantis ſumtibus opus ſit, ſi vel in uno atque altero diſciplinarum ac ſtudiorum genere, inſignem aliquam librorum copiam acquirere velimus. Cumque octo jam conclavia, quorum quatuor ſatis ſpatioſa replevissem; ac locus me deficeret, nonmodo Phyſica et Mathematica Fratri Germano, horum præ aliis ſtudioſo, lubens ceſſi, ſed maximam etiam Hiſtoriæ Nat. ſcriptorum, Theologicorum, Criticorum ac miſcellaneorum partem permutationis jure ante aliquot jam annos aliis conceſſi mecumque conſtitui, nonniſi Hiſtorica et quæ ad jus publicum ſpectant, impoſterum adaugere, ac MStorum adparatum locupletare. Hujus conſilii cauſa alibi, videlicet in Commentariis de vita propria, ſi Deus voluerit, exponentur.

Nimirum juris publici ſcientia maxime delectabatur, qua eos, qui magiſtratum gerunt, aut rerum publ. proceres conſiliis ſuis juvare cupiunt, carere non poſſe recte cenſuit. Vaſtiſſimum autem illius pro imperiorum ac rerumpubl. temporumque diverſitate eſſe ambitum, haud ignoravit, atque adeo facile perſpexit, multum negotii impenſarumque efflagitari, ſi inſigniora ſcripta huc pertinentia conge-

congerere animus eſſet. Hiſtoriarum vero peritiam juris publici ac omnium diſciplinarum ſtudioſis, qui ſupra vulgus ſapere geſtiunt, utiliſſimam ac neceſſariam eſſe ratus, ingenti ſcriptorum hiſtoricorum multitudine ſpatioſiſſimum ſibi aperiri campum animadvertit, in quo induſtriam ſuam ac *βιβλιοφιλίαν* exerceret, loculosque ſuos nummis exoneraret. Sumtus autem in nullos libros collocari melius exiſtimavit, quam in hiſtoricos, in pretio apud rerum intelligentes permanſuros, dum bonis literis ac artibus juſtus habebitur honos, cum reliqui libri in quolibet fere doctrinæ genere pretium ſuum pro diverſo hominum et cujusvis ſeculi genio atque ingenio mutent, ac principia ipſa ſæpius non modo mutentur, et multa, quæ ante ſæculum pro veriſſimis habita, noſtro, quo vivimus, velut abſona atque erronea explodantur, ſed methodi quoque ita mirum in modum varientur, ut veteres plerumque recentioribus ſordeant. Sic v. g. libri phyſici Alberti M. olim tanto in pretio habiti, hodiernis doctrinæ naturalis cultoribus adeo ſunt contemtui, ut vix adſpiciantur, quod in plurimis etiam aliarum diſciplinarum libris locum habet. Quam parum hodie multis Ariſtotelis ejusque ſectatorum operibus, et Scholaſticorum, quos vocant, libris, primatum

quon-

quondam obtinentibus, tribuatur, norunt omnes. Thucydides vero, Herodotus, Tacitus, Livius, Saluſtius, Cominæus, Aventinus, Buchananus, Thuanus, Guicciardinus, Sleidanus, Leutingerus; Cambdenus, Pufendorfius, aliique præſtantes hiſtorici perpetuo a cunctis, queis de meliore luto finxit præcordia Numen, in pretio habebuntur. Nec ſcriptis hiſtoricis, ſi modo probatæ ſint fidei, quicquam pretii ulla unquam demit ætas, iisque fere idem accidit, quod vino, quod quo vetuſtius, eo quoque generoſius, præſtantius atque pretioſius plerumque fieri ſolet. Egregia ſunt, quibus ipſe b. Vffenbachius rationem reddidit, quare hiſtorica potiſſimum ſcripta colligere, iisdemque præ aliis librarium ſuum apparatum omni cura adaugere atque locupletare ſategerit, digniſſima igitur, quæ hic legantur (e). Nempe, *ſuperius, ait, et quod nunc vivimus, Seculum, HISTORICUM dici omnino meretur, cum hiſtorica ſtudia nullo alio tempore, quam his ipſis ſeculis, tanta induſtria tantoque fervore fuerint exculta. Inter maximas ſane ævi noſtri felicitates illud ipſum reponendum eſſe, nemo negabit, niſi qui inſignem, quam in omni non modo*

(e) ex præfatione Tomi II. Bibliothecæ Vffenbachianæ univerſalis.

modo vitæ, ſed univerſo etiam ſtudiorum genere, utilitatem præſtat Hiſtoria, plane ignorat. Quanta hæc ſit, pluribus, ſi opus ac etiam hujus loci eſſet, demonſtrari poſſet. Egerunt id dudum et quidem ſumma cum laude, viri in Republica Literaria illuſtres, Balduinus, Boeclerus, Conringius, Kulpiſius, ac innumeri alii. Nec erit inter mortales quispiam, qui hanc Hiſtoriæ præſtantiam atque utilitatem in dubium vocare audeat, niſi inſignem ſtupiditatem et craſſiſſimam in bonis literis ignorantiam ſuam prodere, ac Tullii ſententia, bis pueris annumerari velit. Nemo itaque improbabit, quod tanta cura, tanto ſtudio, ac tantis denique ſumtibus hiſtorica conquiſiverim. Præterea ſtimulum, ut hoc conſilii caperem, addidit, quod probe animadverterim, ſcripta hiſtorica fere ſola pretium immortale ſibi ſervare, cum alii, in quovis etiam diſciplinarum ac ſtudiornm genere, libri, tempore obſoleſcere ac vileſcere ſoleant. Cum enim ſcripta hiſtorica, nuda factorum ac rerum geſtarum narratione abſolvantur, ſi hæc ipſa ſemel veritate ſua probe nitatur, nullis plane mutationibus obnoxia eſſe poſſunt, ſed quemadmodum divina hæc veritas ſemper eadem, immutabilis atque immortalis plane permanet, ita hiſtoricis etiam ſcriptis idem honos pretiumque in æternum perdurat. Non eadem conſtantia atque felicitate gaudent cæteræ diſciplinæ omnes, utpote quæ ratiociniis ac diverſis proponendi tractandique modis methodisque nituntur. Hinc certe infinitæ oriuntur viciſſitudines, ita ut nova indies veritates detegantur, nova,

repu-

repudiatis veteribus, dogmata in medium profe-rantur, novi etiam proponendi docendique modi aptioresque methodi inveniantur, quæ omnia, ut facile adplauſum merentur, ita per easdem inno-vationes mutationesque vetera ſcripta obſoleſcere, ſordeſcere atque negligi a poſteris ſolent. Quis, quæſo, ut paucorum ſaltim mentionem faciam, hodie innumera Theologorum Scholaſticorum vett. volumina legere, quis antiquorum, Italorum in-primis ac Hiſpanorum, horrendis nominibus ac ti-tulis conſpicuorum JCtorum Codices conſulere cu-pit, quis Galeniſtarum Scripta obſoleta ſibi com-parare avet, quis vett. Philoſophorum Scholaſti-corum nugas ferre amplius poteſt? Cui vett. de Jure publico Scripta, ex Jure civili, neglectis veris ex Hiſtoria fontibus ac vett. monumentis, perperam deducta non ſordent? Quod cum ſi-milibus plane rationibus de reliquarum diſciplina-rum (quas omnes hic enarrare nimis longum fo-ret,) ſcriptorum operibus ſtatuendum ſit, nemo ſa-ne mirabitur, quod tot librorum myriades muri-bus, tineis ac blattis in eſcam ceſſerint, vel per-petuis tenebris ſepulta jaceant, ac futuris etiam temporibus ſint peritura. Non eadem, ut dixi, fata, hiſtorica manent ſcripta, ſed ſi hæc ſemel, ut jam innui, ipſa veritate ſua ſeſe approbarunt, pretium ſuum cum æterna veritate ipſa perpetuo retinent.

Singulari autem hiſtoriæ literariæ ac li-brorum dulcedine cum a primis ſtudiorum ſuorum incunabulis captus fuerit Noſter, nihil

nihil facile utilius ac ſuavius exiſtimans, quam origines et progreſſus nobiliorum ſcientiarum habere exploratos, quam e vitis virorum doctrina celebrium veram haurire prudentiam, et quæ in ſtudiorum ac vitæ ratione ſequenda vel fugienda ſint cognoſcere, quam denique ſolida librorum, quos veræ eruditionis inſtrumenta jure vocaveris, notitia animum imbuere; non difficulter judicabis, quamobrem tanto ſumtu ac ardore per omnem vitam ſcripta ad rem literariam ac librariam pertinentia undique accumulare connifus fuerit, nunquam iis ſatiatus, nunquam ſatiandus.

Quid vero mirum, virum flagrantiſſimo librorum et poſſidendorum et perluſtrandorum deſiderio plenum iis ſcriptis impenſe eſſe delectatum, e quibus bonorum malorumque librorum notitiam haurire, fata diſciplinarum, in illis traditarum, cognoſcere, auctorumque, quorum ingenii monumenta tam ſollicite conquiſivit, vitam, dotes, fata, mores, ſtudia ac merita reſciſcere licet. Et cui, quæſo, potius curæ eſſe debet rei literariæ ac librariæ notitia, quam illi, qui omnes animi atque marſupii ſui nervos in bibliotheca, quam poteſt fieri, opulentiſſima inſtruenda intendere haud dubitat, ne imprudenti auſu ac cœco impetu inconditam atque inutilem

tilem librorum farraginem cum magno tam fortunarum ſuarùm, quam exiſtimationis detrimento corradat. Hujus furfuris homines ſimiles eſſe cenſuit Heliogabalo, qui ſtolido conſilio Romanæ urbis amplitudinem oſtentaturus, omnes undique aranearum telas colligi, inque acervum conjici juſſit. Idem enim facere videntur ii, qui nulla librorum ac rei literariæ cognitione inſtructi ſine judicio et ſelectu immenſam librorum, quorum multos infructuoſis aranearum telis comparare poſſis, vim coacervant, inſipide hac ratione tam ſuæ doctrinæ divitias quam ampliſſimas orbis eruditi opes jactaturi.

Libros, ſub artis typographicæ auſpicia et paulo poſt excuſos, ſedulo collegit, non tam ad ſæculi noſtri genium ſe compoſiturus, quam eorum raritate ac multorum illius ordinis præſtantia ductus. Raritas partim e paucitate exemplarium impreſſorum, partim ex incuria hominum enata eſt. Nam ſicuti divinæ artis inventio præter culpam ſuam multis codicibus MSS. perniciem intulit, nec pauci optimæ notæ codices poſt eam ſolerter excogitatam ac induſtrie excultam bibliopegis et bracteatoribus in prædam ceſſerunt, inepte ſiquidem arbitrantibus iniquis ac inſcitis rerum æſtimatoribus, nulli amplius uſui eſſe

volu-

volumina manu exarata, lectu quippe et difficiliora et minus jucunda, cum jam typis expreſſa haberi poſſent illa opera: ita viciſſim læta nobiliſſimæ artis incrementa plurimis primarum editionum abolendis anſam dediſſe videntur. Quum enim novæ ſemper librorum editiones ſuccederent, et orbem fere inundarent, typographique excellentiſſimi Manutii, Juntæ, Frobenii, Oporini, Wecheli, Gryphii, Vaſcoſani, Stephani, Valgriſii, Plantini, Voegelini, Commelini, et alii curate pariter ac eleganter libros ſuos excuderent, factum eſt, ut antiquiores, ceu ſæpe minus nitidæ, e medio tollerentur, et loco chartæ ineptæ, quæ ſegeſtrium vice mercibus involucra præbet, haberentur. Cui uſui, vel abuſui potius, antiquæ illæ editiones eo magis videbantur idoneæ, quod iſtarum pleræque in forma majori erant excuſæ. Magna itaque earum copia periit. Doluit id merito P. Ludovicus Jacobus a S. CAROLO, de quo Aegid. MENAGIUS (f): *Le Pere Jacob ne pouvoit ſouffrir le mépris, que l' on fait de ces anciens livres,* (de veteribus autem editionibus antea ſermo ipſi erat) *dont on fait, diſoit-il, des fuſées* (g), *et dont les charcutiers*

(f) vid. Menagian. Tom. II. p. 407.

(g) Hanc quoque fortunam paſſos olim eſſe

parent leurs boutiques , au lieu qu'on ne devroit les conſiderer comme les originaux.

Quoniam

---

eſſe codices membranaceos , patet ex hoc exemplo , quod idem MENAGIUS Tom. III. p. 168. narrat. *Le Gouverneur de feu M. le Marquis de Roville jouant à la longue paulme dans une terre près de Saumur, lut par hazard ce qui étoit ecrit ſur le parchemin ſon batoir, et reconnut que c' étoit une feüille de la ſeconde Decade de Tite-Live. Il courut en même tems chez le faiſeur de batoirs, qui lui dit qu' il n' y avoit pas long-tems qu' il avoit employé la derniére feüille.* Hoc ſane inter ſingularia veterum codicum fata referri meretur. conf. COLOMESII *Recueil de particularitez* p. 320. edit. Fabric. unde cognoſcimus , pharmacopolam quendam iſthunc Livii codicem cum aliis membranis a nonnullis monachis dono acceptum pyrobolario cuidam vendidiſſe.

Tam miſerandum quoque in modum , ſuperiori demum ſæculo, in Dania ingens veterum monumentorum ac diplomatum copia irreparabili damno intercidit. Cum enim ad ſolemnia nuptiarum Chriſtiani, regni heredis, cum Magdalena Sibylla, Saxoniæ Principe, Hafniæ

Quoniam vero procedente tempore excellentiſſima ingenia ſe arti criticæ ac au-

---

Hafniæ A. 1634. celebranda ignium quoque feſtivorum ſpectaculum appararetur, truculento cujusdam mandato e tabulariis eccleſiarum cathedralium ac monaſteriorum plurimæ priſcæ membranæ et chartæ ad fovendos illos ignes adhibitæ fuerunt, quod Thomas Broderus BIRCHERODIUS in epiſtola quadam MS. de deperditis ſeptentrionalium antiquitatibus, et maxime Gotho-Cimbricis teſtatur, ita inter cætera ſcribens: *Ad hoc tam infelix mandatum, ut mihi a ſenioribus hujus loci incolis eſt relatum, extradita fuerunt, quæcunque hic Otthiniæ inveniri poterant, et novi ex Hafnienſium civium perinde ac beati parentis mei relationibus ac continuis de hac re querelis, Hafniæ tunc pyrotechnicis officinis tantam membranarum talium plauſtris illatam fuiſſe congeriem, miſero curioſis ſpectaculo, quorum quæ miſſilibus ſupererant ignibus, et cum flammis non in aëra mittebantur, pedibus poſtea conculcabantur, aut a pueris, bibliopegis aliisque ad integumenta librorum vili redemta pretio, aut ab aniculis ad alios uſus ablata.* vid. Vener. Erici PONTOPPIDANI præfat. ad I. Tom. Annalium eccleſiæ Danicæ diplomaticorum p. 13. ſq.

ctoribus priſcis poliendis emaculandisque dederunt, facile illis apparuit ingens veterum editionum utilitas. Expreſſæ videlicet illæ fuerunt e codicibus MSS. ſæpe præſtantiſſimis, qui vel nunc plane diſparuerunt, vel ita latent in bibliothecis, ut eorum copia haberi nequeat. Illæ igitur editiones vice codicum manu exaratorum fungi haud inutiliter poſſunt, quarum nonnullæ ſunt exquiſitiſſimæ, cum haud pauci viri eruditiſſimi iſta ætate correctorum in officinis typographicis munus obire non detrectaverint: e quibus exempli et honoris cauſa nomino viros, varia doctrina liberaliter inſtructos Jo. Antonium Campanum, Epiſcopum Teramenſem, et Omnibonum Leonicenum, qui ſcriptoribus Latinis, Demetrium Chalcondylam, Jo. Laſcarem, ac Marcum Muſurum, qui Græcis auctoribus publicæ luci exponendis et typothetarum erroribus emendandis ſedulam impenderunt operam. Ac licet inficiandum haud ſit, multas illius ævi editiones eſſe ſatis mendoſas, non tamen et iſtæ inſigni uſu carent, cum in ipſis ſæpe mendis ac operarum ſphalmatis oculati lectores veſtigia incorruptæ lectionis, proxime e codicibus MSS. hauſtæ, deprehendant (h). Non inconſulto itaque ejusmodi

(h) Conſentientem hic habeo Virum πεϱι-

modi editiones omni ſtudio congeſſit Vſfenbachius, has, uti cunctas ſuas opes literarias, eorum uſui deſtinatas cupiens, qui bono publico promovendo operam ſuam addixerunt, priſcos auctores, quanta fieri poteſt, cura, integritati ſuæ reſtituturi. Neque vero et reliqua opera in ea temporis periodo impreſſa prorſus neglexit, quamvis ſæpe, prout illa nondum plane exculta ferebat ætas, ſalebroſa, et ſcholaſticorum aliorumque tricis plena, cum ad artis typographicæ ac ipſius etiam eruditionis hiſtoriam cognoſcendam et illuſtrandam faciant, eorumque multa haud amplius ſint recuſa, ac hodie propterea rarius obvia. Didici enim ex literis τῦ μακαρίτυ ad Erneſt. Eman. PLARRE A. 1707. d. 15. Nov. datis, animum ipſi fuiſſe aliquando de typographiæ rudimentis et incrementis varias ſuas meditationes atque obſervationes in chartam conjicere: quod an præſtiterit, mihi quidem non liquet, niſi quod in adverſariis ejus hiſtorico-literariis, quæ penes me ſunt, multum bonæ frugis hanc in rem ab eo congeſtum eſſe ſciam. Sed ipſum potius audire

---

τικώτατον D. Heumannum in Conſpectu Reip. liter. Cap. VI. §. XVIII. p. 291. edit. III.

dire juvat VFFENBACHIUM, cauſam hanc ſuam ita perorantem (i). *Non deerunt, qui primis iſtis vett. Auctorum editionibus delectantur, quod non ſolum ad artis divinæ, typographicæ puta, inventionem, progreſſum, ac incrementa cognoſcenda, ſed ad emendandos etiam priſcos Auctores ipſos, adprime faciant. In his enim genuina ex ipſis vett. Codicibus bona fide depromta lectio, intemerata plerumque deprehenditur, quæ temerariis ac inſulſis Criticorum naſutulorum correctionibus et interpolationibus, ac poſteriorum etiam Typographorum oſcitantia, ſphalmatibus, temporis progreſſu, turpiſſime adulterata fuit. Hinc tanta ſemper aviditate a Belgis, et ab Anglis majori adhuc cupiditate hodienum expetuntur veteres illæ Auctorum priſcorum editiones. Peragravit ante aliquot annos univerſam fere Germaniam et Helvetiam Bibliopola quidam Anglus, nomine SVTTY, hoc unice agens, ut veteres tales codices, circa Artis Typographicæ primordia, typis exſcriptos conquireret. Perreptavit non modo monaſteria, ubi ingentem talium Codicum, ſitu et ſqualore obſitorum, copiam latere novit, ſed Bibliothecas etiam Bibliophilorum perquiſivit, hoſque magno ſatis pretio ad eorundem ceſſionem allicere ſtuduit. Ille ipſe me quoque adiit, ac maximam adparatus mei partem blanditiis ſuis ac oblata etiam ſumma pecuniæ ſatis magna elicere, aſt fruſtra, tentavit. Haud* parum

(i) l. c.

parum equidem lucrari mihi licuiſſet, ſi tunc temporis vetuſtas meas editiones homini cedere voluiſſem, nec piaculum mihi viſum fuiſſet, lucelli cauſa permittere, ut haece Cimelia e Germania noſtra in Angliam, ubi literariis theſauris ſic ſatis abundant, aſportentur.

Rariores vero libros eum quavis data occaſione cupidiſſime in ſuam intuliſſe bibliothecam, quis mirabitur? Quæ enim ſunt minus obvia, jucundiora eſſe ſolent. Hinc Seneca: *Quod cupis gratum eſſe, rarum effice.* Exquiſita autem hujus generis librorum notitia polluit VFFENBACHIUS, omnes raritatis eorum cauſas in numerato habens, id quod ex commercio ejus epiſtolico ubivis elucet.

Magno igitur ardore illis inhiavit, ac præcipue eorum, quos prohibitos et damnatos nuncupare vulgo ſolent, tantam congeſſit copiam, ut dubitem, num in ulla unquam vel ſummorum principum bibliotheca tot hujus commatis libri ſimul extiterint: non ſane eo conſilio, ut illis abuteretur, vel in ſuam vel aliorum perniciem, quod a viri optimi pietate erat longe alieniſſimum, ſed iis rationibus ductus, quas in præfatione indici librorum ſuſpectæ fidei et argumenti paradoxi atque

profani præmiſſa (k) in medium protulit, quasque ſummatim hic repetere noſtrarum duximus eſſe partium. Scilicet quum præſtantes bibliothecæ cum officinis pharmaceuticis in multis comparari queant, in his quoque cum illis conveniunt, ut quemadmodum plurima venenorum ac venenatorum genera aſſervantur in pharmacopoliis, imo ſi iſthæc rite præparentur atque adhibeantur, præſtantiſſimorum pharmacorum loco illa ipſa eſſe ſoleant, ita etiam peſſima ac virulentiſſima quævis ſcripta non plane rejicienda eque bibliothecis eliminanda, ſed ad veritatis religionisque confirmationem, errorumque, qui non modo in talibus ſcriptis ſed plurimorum etiam animis latent, confutationem atque faciliorem eradicationem adhiberi, utiliaque eſſe queant. Nihil enim animum magis obfirmat, nihil fortius fidem roborat, quam ſi videamus, vana omnia eſſe impiorum deliramenta, quæ a religionis ac ſanæ rationis hoſtibus in frivolis ſcriptis ſuis magno licet cum apparatu nec ſine colore aliquo proferri ſolent. Præterea hujus furfuris libri anſam ſæpe ſubminiſtrant, ut veritates magis magisque eruantur ac roborentur, ſtudia majori

(k) Tom. I. Biblioth. univerſal. Vffenbach. poſt paginam 755.

ri cum fervore excolantur, ac plurima antea ignota inveſtigentur: nec parum intereſt, ut errores ac ſcrupuli, in hominum animis enaſcentes, pateſiant ac publice retundantur. Haud vero poſſunt felicius ac ſolidius refelli adverſariorum argumenta, quam ſi ea ex ipſis illorum ſcriptis explorata habeamus, atque ex lateбris ſuis protrahamus (l). Apprime mihi probatur, quod de veterum hæreticorum libris tulit judicium Jacobus BASNAGIUS (m): *Rariſſima ſunt veterum hæreticorum ſcripta; pleraque enim amanuenſium incuria et doctorum vigilantia perierunt. Reformidant multi, ne hæreſes jamdiu ſepultæ revocentur, detrimentumque fiat veritati, ſi fundamenta, quibus potiſſimum nitebantur errantes, in lucem protrudantur. At dedecet Theologos ita meticuloſos eſſe, et religioni parum conſulunt, qui eam ita facile labefactari putant. Hæreticorum nomina, quinimo ipſas hæreſes poſteritati mandarunt hiſtorici, earumque meminere Patres. Qua igitur ratione tantis animis hæreticorum ſcriptis bellum indicitur, cum noti*

(l) conf. ſi placet, quæ hanc in rem diximus, Amœnit. liter. Tom. VIII. p. 308. ſqq.

(m) in Volumine I. Theſauri monumentorum eccleſiaſticorum et hiſtoricorum, f. 172.

noti ſint errores? Revelata eorum ſententia et detectis, quibus utuntur, argumentis, facilius refelli poterunt; nec ulla lectoribus remanebit ſuſpicio, quin turpiter erraverint, ubi ex eorum ſcriptis elicientur tum hæreſes, tum argumenta, quibus illas tueri ſolebant. Sæpius mens hæret ſuſpenſa; dubitatur, an errorum monſtra docuerint hæretici, et veteribus illud aſſerentibus vix habetur fides. Suſpicione laboramus apud pleroſque, qui ſectarum parentes multo ſubtiliores ſibi fingunt, ipſiſque argumenta noviſſima, de quibus ne quidem cogitaverant, tribuunt. Latitare amant hæretici; eorum igitur fraudes debent aperiri, ne fucum faciant lectoribus, quod, niſi legantur eorum ſcripta, tuto fieri non poteſt. Palleat vulgus Chriſtianorum, ubi hæreticorum nomen audit, eorumque libros fugiat! ſed doctoribus ea manibus terere licitum, ut, quidquid intricatum eſt, revelent, et quidquid objicitur refellant. Alia occurrit ratio momentoſiſſima. Novitati ſtudent homines noſtri ſæculi; ſublata inventionis gloria, friget animus: ideo finguntur aut ſaltem fingi creduntur hæreſes et ſententiæ plane novæ. Nihil tamen dicitur, quod non dictum fuerit prius. Privarentur igitur gloria, quam aucupari conantur noſtri temporis hæretici, ſi veterum tum dicta, tum argumenta, quibus utebantur, omnibus revelarentur. Idem fere pronunciandum venit de cujusvis atque adeo etiam recentioris ævi ſcriptis paradoxis, profanis ac errorum plenis.

Cum-

Cumque illiusmodi libri rarius haberi queant, operæ pretium facere videntur celebrium bibliothecarum conditores, qui eos ſtrenue colligunt, ut hac ratione juvare poſſint viros eruditos, in arenam cum religionis ſanæque rationis hoſtibus deſcenſuros, ne Andabatarum more cum iis pugnent. In horum igitur gratiam et uſum hujus farinæ libros tam typis excuſos, quam calamo exaratos quoscunque potuit, congeſſit VFFENBACHIUS; ſollicite vero cavit, ne cuiquam iis offendiculo eſſet. Hinc, licet in cæteris libris et codicibus aliorum uſui concedendis maxime liberalis, ex hac farragine, cancellis ſedulo incluſa, non promiſcue omnibus libros impertiit, ſed iis tantum, de quorum fide, doctrina ac probitate certus eſſet, illis autem, apud quos vel aliquantulus abuſus apparuit metus, omnem plane eorum uſum conſtanter denegavit. Potuiſſet autem ex divite hoc apparatu luculenter ac ſolide conſcribi Bibliotheca hæreſiologica, qualem et ipſe vir beatus olim meditabatur, in ſchedis ſuis teſtatus, ſe quondam recenſionem ſcriptorum heterodoxorum ac paradoxorum cum brevi auctorum vitæ et reliquorum ſcriptorum enarratione molitum eſſe, e cujusmodi opere ex ipſa librorum ſuſpectæ fidei αὐτοψία ac ſedula perlectione concinnato non parum certe

certe utilitatis exſpectandum foret, ſi præſertim potiſſima eorum argumenta brevibus ſtricturis ſimul in illo ſolide refellerentur, atque ita veneno antidotum opponeretur.

Sedulus quoque erat noſter in conquirendis libellis, mole quidem exiguis, ſed argumenti pondere ſæpe graviſſimis, qui ſua exilitate ſe facile oculis noſtris ſubtrahunt, atque hinc rariſſimi fieri ſolent. Nota ſunt exempla Emerici BIGOTII, MORHOFII, LEIBNITII, aliorumque virorum perſpicaciſſimorum, quibus idem ſolenne erat. Minutula illa ſcripta, quas ſchedas volantes palantesve nuncupant, facile noſtris elabuntur manibus, grandi pretio vix tandem parabilia. Nec immerito itaque inter ſuæ bibliothecæ cimelia, ut unicum hic afferam exemplum, retulit octo ſpiſſa volumina, epiſtolas ac relationes ad Belgii fœderati ordines per eorum Legatos et alios Miniſtros ab A. 1669. ad 1674. perſcriptas complectentia, quæ collecta fuerunt a Malapertio Belgico Miniſtro Francofurti, uti ajunt, reſidente. Cum enim nonniſi per folia ac ſingillatim typis omnia fuerint mandata, tantumque ſex vel decem ſingulorum exempla eum in finem excuſa, ut miniſtris ad notitiam mitterentur, recte judicavit, ea inſtar manuſcriptorum ha-

habenda, quæ arcana illius temporis conſilia ac res geſtas exhibent (n).

Probe etiam gnarus, in juris publici ac hiſtoriarum cognitione multum ſæpe proſici poſſe ex Deductionibus cauſarum illuſtrium in controverſiis principum ac magnatum editis, quæ plerumque minus ſolent eſſe obviæ; diſtributæ ſcilicet potisſimum inter viros principes ac dignitate eminentes, raroque venales, earum quoque apparatum tam eximium omni cura atque induſtria conquiſivit, ut celeb. KOEHLERUS, at quam idoneus judex! cum Catalogus bibliothecæ ejus in publicam lucem datus eſſet, in literis ad noſtrum A. 1730. d. 12. Januar. Altorfio exaratis hanc de illo tulerit ſententiam, veritati conſonam: *Scriptorum in publicis controverſiis publicatorum copia ſuperaſti omnes catalogos, quotquot ego hactenus in Germania vidi.* Superbiit quoque ejusmodi ſcriptorum, quæ pro ventilandis juribus ſummorum principum, rerum publ. procerumque imperii typis excuſa ſunt, locupletiſſimo apparatu bibliotheca Plothoiana, A. 1732. publica ſub-

(n) vid. Tom. I. Bibliothecæ Vffenbachianæ univerſalis, p. 389.

ſubhaſtationis lege Berolini divendita (o).

Ne quid jam dicam de diſſertationibus academicis, quibus, utpote optimam ſæpe multorum librorum de ſelectis argumentis medullam exhibentibus, impenſe delectabatur, iisque congerendis ſtrenuam navabat operam, in nobiliſſimis Germaniæ academiis vel virorum celebrium, quibuscum commercium ipſi intercedebat literarium, vel juvenum etiam ſtudioſorum ope hac in re feliciter uſus. Jucundum enim ipſi erat, in hiſce exercitationibus academicis ſingularia argumenta ſollicite excuſſa, et quæcunque in plurimis aliorum ſcriptis paſſim diſperſa ſunt, in unum faſcem grata brevitate coacta recognoſcere, cum haud neſciret, in minutioribus hujusmodi libellis ſæpe plus nervorum ac ſucci, quam in ſpiſſis voluminibus deprehendi. Quantum ſpeciminibus iſtiusmodi academicis illuſtres Viri God. Guil. LEIBNITIUS, Gisb. CUPERUS, Bernh. MATFELD, et Euch. Gottl. RINCKIUS tribuerint, docet (p) rei bibliothecariæ, ut quisquam alius, maxime peritus, mihique dum viveret, faven-

(o) vid. ejus Catalog. Tom. II. p. 481. ad pag. uſque 828.

(p) vid. ejus de vita ſua Commentar. Cap. IV. p. 178. ſq.

ventiſſimus Vir Jacobus BURCKHARDUS, qui ipſemet ingentem eorum copiam in ſelectiſſimam quoque ſuam bibliothecam intulit.

Tandem, quod primo loco memorandum fuiſſet, felici ſedulitate variarum linguarum Codices biblicos tam typis excuſos, quam calamo exaratos conquiſivit, in ingens theſauri ſui decus ultra trecentos eorum nactus, quibus et ſuam, et aliorum utilitatem promovere ſatagebat. Cum enim copioſam variæ eruditionis ſupellectilem ingenti diligentia et pretio ſibi aliisque comparare contenderet, indecens et pietate ſua indignum reputabat, ſi non ſacroſancti Codicis, ceu libri omnium præſtantiſſimi, cui ob excellentiam ſuam veteres bibliothecæ nomen indiderunt, quotquot poſſet, editiones, verſiones (q) et manuſcripta exemplaria etiam congerere allaboraret.

Præ-

(q) Inſipidæ cujusdam atque blasphemæ verſionis Germanicæ, vel impiæ potius perverſionis S. Scripturæ, quæ manu veteri exarata in ſua bibliotheca exſtabat, recenſionem ipſe dedit VFFENBACHIUS Tom. I. *der abgeſonderten Bibliothec.* p. 755. ſqq.

Præcipua vero ejus cura erat, codicibus manu exaratis muſeum ſuum locupletare, quos principem merito locum in bibliothecis obtinere, maximoque iis ornamento eſſe rerum intelligentes judicant. De hoc illius ſtudio jam ſupra quædam diximus, plura autem ejus documenta illuſtria dare ſuperſedemus, ne nimium excreſcat hæc commentatio. Ex ipſo vero Codicum MSS. Catalogo typis excuſo manifeſte apparet, tam nulli operæ nullisque ſumtibus in iis adipiſcendis eum pepercisse, quam ita auſpicato ſucceſſu hanc ejus induſtriam eſſe gaviſam, ut voluminum MSS. eorumque partim præſtantiſſimorum numero multas ſummorum principum bibliothecas feliciter ſuperaverit, ac inter privatas, easque inſtructiſſimas, vix ulla unquam fuerit huic ipſius theſauro inæſtimabili comparanda, nedum præferenda, atque adeo illius bibliotheca hoc nomine privatarum, noſtri ſaltem ſæculi, omnium regina jure vocari potuerit, cum manuſcripta ab eo undecunque diligentiſſime congeſta ſupra duorum millium numerum adſcenderint, quorum haud pauca in hunc diem ſunt inedita. Ipſe noſter Muſageta de ſua ſupellectilis manu exaratæ collectione ita diſſerit (r): *Quanta molis ſit, aliquam*

(r) in præfatione Tomi III. Bibliothecæ Vffenbachianæ univerſalis.

quam MSStorum Codicum ſupellectilem condere, omnes certe norunt, qui talem comparare in animum unquam induxerunt. Non enim hic modo Opus et Labor eſt, ſed ſingularis etiam in MSStis, vet. inprimis Codicibus acquirendis, Fortuna requiritur, nec omnibus, etiam in his, contingere, adire Corinthum, exinde elucet, quod copioſiſſimæ ac præſtantiſſimæ etiam Bibliothecæ vix una alterave eorundem decade ſuperbiant. Quam rara etiam ſint in publicis, quæ ſub haſta fieri ſolent, librorum venditionibus, MSSta, omnibus notum eſt, qui horum Catalogos ſtudioſius perquirere atque ex iisdem Bibliothecas ſuas locupletare amant atque ſatagunt. Quamvis igitur omnem lapidem moveas, indefeſſam plane diligentiam et improbos etiam labores adhibeas, ac denique vel Croeſi divitias impendere velis, fruſtra tamen, niſi benignior Fortuna arrideat faveatque, laborabis. Injurius forſan Tibi viderer, ſi egomet de Libraria, ut eam per jocum nominare ſoleo, Fortuna conquerar. Faventem ſatis atque largam etiam, fateor, primis, quibus ante viginti ſex annos Bibliothecam haud invita forſan, abſit jactantia! Minerva colligere atque inſtruere cœpi temporibus, ſeſe præbuit, parciorem tamen poſtea ſeſe exhibuit, adeo, ut vix unum alterumve, veterem inprimis, Codicem per aliquot jam annos obtulerit. Cum enim ante viginti, et quod excurrit, annos, ingens plane membranarum copia in nundinis noſtris fuerit advecta, adeo, ut e plurimis ſæpe membranarum centenariis ſeligere mihi licuerit, nunc

certe vix folium amplius aſſertur, quod adſervari mereatur. Quæ enim etiamnum, quamvis rarius, ex monaſteriis adducuntur volumina, Miſſalia, ut vulgo vocantur, ac inutilia plane eſſe ſolent, veterum Scholaſticorum et aliorum ſcripta, futiliaque alia. Quamvis etiam Germania noſtra præſtantiſſimorum Codicum Copia olim, (quod facile, ſi hujus loci eſſet, demonſtrari poſſet,) abundarit, exteri non modo meliorem horum partem callide (quod quam plurimis etiam comprobare exemplis liceret,) nobis abſtulerunt, ſed Bracteatores ac Bibliopegi, (quod in perniciem vet. membranatum natum hominum ſane genus eſt,) ingentem eorundem copiam ad profanas operas ſuas adhibuerunt atque peſſum dederunt.

Cum primis totus fuit in conquirendis doctorum virorum epiſtolis, e quibus multa rei literariæ arcana, fruſtra alibi quærenda, cognoſci, atque in intimos veluti pectoris eorum, a quibus ad familiares exaratæ ſunt, receſſus ſæpe penetrari poſſe experientia eum edocuit, illas propterea inter pretioſiſſima ſupellectilis ſuæ literariæ cimelia referens, earumque acquiſitione pariter ac ſedula perluſtratione mirum in modum delectari ſolitus. Quis enim, quæſo, rerum intelligens non ſingulari permulceatur ſuavitate, ſi in celebrium virorum epiſtolis, præſertim arcanioribus, expreſſum animi illorum characterem, picturamque ingeniorum jucundiſſi-

diſſimam, ut præſtantiſſimi GESNERI, elegantiorum Muſarum ocelli, verba (ſ) faciam mea, deprehendere ipſi liceat? Tanta autem earum copia indefeſſo multorum annorum ſtudio magnisque ſumtibus potitus eſt, ut perſuadere mihi nequeam, ullam unquam facile bibliothecam tot manu exaratis, iisque magnam partem autographis, virorum celeberrimorum epiſtolis ſuperbiiſſe. Earum enim volumina primæ magnitudinis LXVIII. mediæ autem ſupra L. ardore incredibili, nec minori felicitate congeſſit, numero epiſtolarum MSS. ad triginta fere millia aſſurgente, ad huncce calculum haud revocatis, quas vel ipſe ſcripſit, vel ab aliis accepit. Theſaurus ſane vel ipſis regibus invidendus!

Præterea cum eſſet φιλόπατρις, quæcunque potuit, acta et documenta Francofurtenſia in beatiſſimam ſuam gazam comportavit, indecorum eſſe arbitratus, exterarum rerum notitiam et copiam tanto labore ac impendio ſibi comparare, patrias autem ac domeſticas, quarum præcipua bonis civibus cura haberi debet, negligere. Inſigni profecto ſua et utilitate et

(ſ) in Notitia bibliothecæ Schurzfleiſchianæ, p. 19.

jucunditate hoc inſtitutum ſe commendat, ſi eos præſertim ſpectes, qui patriæ aliquando conſiliis ſuis prodeſſe, adque Reip. gubernacula adſcendere cupiunt. Veriſſime enim in epiſtola ad Jo. Henricum MEIBOMIVM Jo. CASELIUS ὁ πάνυ ſcripſit (t): *Noſſe cum alia remotiſſimorum et ſeculorum et populorum jucundum ſit, tum domeſtica et patria in conſpectu habere jucundiſſimum eſt, etiamſi fructus alius non accedat, qui in capiendis conſiliis eminet maximus, dum vicina cum vicinis comparamus, proxima a proximis potius petimus, quam ex altero ſive ſeculo, ſive orbe.*

Recte judicavit MORHOFIUS (u), MStis accenſeri poſſe veterum auctorum libros editos, manu virorum doctorum ac criticorum illuſtrium notatos: cum enim ideo in pretio ſint MSti codices, quod illorum beneficio loca corrupta emendari poſſint, merito æſtimari debere cenſuit libros, in quibus jam tum illæ emendationes a viris doctis ſunt inſtitutæ, in iisque

(t) vid. Herm. Diet. MEIBOMII Programma publicis prælectionibus hiſtoricis Helmſtadii A. 1701. præmiſſum p. 2. ſq.
(u) Polyhiſt. liter. Lib. I. Cap. VII. p. 64.

que ſæpe plus utilitatis eſſe, cum labore illo tædioſo inquirendi et conferendi ſublevemur, ac præterea ſæpe judicium critici accedat, qui ſuæ cenſuræ rem jam fecerit. Solent etiam interdum eruditi libris tam ſuis quam aliorum in margine, vel in charta pura foliis interpoſita varias adſcribere obſervationes, plurimum profuturas iis, qui novas illorum editiones curare, aut in iisdem argumentis vires periclitari ſuas cupiunt. Superbiebant hujusce generis libris ſtudioſe conquiſitis præſertim bibliothecæ Emerici BIGOTII (x), Iſaaci VOSSII (y), Nicolai HEINSII (z), Steph. BALUZII (a), Frid. Ben.

(x) vid. Menagian. Tom. III. p. 63.

(y) uti apparet ex Catalogo MSS. Codicum, qui in ejus bibliotheca extabant, concinnato a Paulo COLOMESIO, hujusque operibus, a b. FABRICIO Hamburgi A. 1709. junctim editis, inſerto, ex quo cognoſcimus, illum libros Græcos cum MSS. collatos a viris doctis, emendatosve, vel alio quovis modo notatos poſſediſſe LXV. Latinos CXXXV.

(z) cujus rei teſtis eſt catalogus bibliothecæ ejus, Lugduni Batav. A. 1682. publicæ luci expoſitus.

(a) vid. Dan. MAICHELII Introduct. ad Hiſt.

CARPZOVII (b), Jo. Georg. GRÆVII

Hiſt. lit. de præcipuis Bibliothecis Pariſ. p. 16.

(b) vid. M. Chriſtiani JUNCKERI Diſſ. epiſt. de obitu Frid. Ben. CARPZOVII p. 10. ubi hæc de viro longe meritisſimo commemorat: *Bibliothecam inſtructiſſimam comparaverat ſibi maximis ſumtibus, ut publico poſſet uſui inſervire, cui ſoli erat deſtinata. Noluit ſcilicet ſibi ſervare, quod ſæpius, ne in privatorum aut rudium inficetorumve hominum manus perveniret, bibliothecæ ſuæ vindicavit. Hac fini et frequentare ſolebat bibliopolarum tabernas, et publicas librorum auctiones, iisdemque per plurimas interdum horas adſidere, curabat etiam ex locis peregrinis advehi, quicquid aut ſibi deeſſe ſciret, aut raro poſſet acquiri; quæ inter præſertim magni æſtimare conſueverat eos libros, quibus adjecerant adnotamenta ſua viri eruditi, quorum exempla ipſe ſequutus omnibus, quos perlegerat, libris ſubinde adſcripſit, quæ vel viſa erant notatu aut obeliſco digna, vel legentis occurrebant memoriæ, quam tenaciſſimam erat nactus, vivæ ideo et ambulantis bibliothecæ nomen ab his, quibus cognitus erat, jure ſortitus.* Ex theſauro Vffenbachiano pervenit ad me Volumen formæ duodecies complicatæ, comprehendens Joach. CAME-

VII (c), Marquardi GUDII (d), Conr. Samuelis SCHURZFLEISCHII (e), Joſephi VALLETTÆ (f), Italorum Vffenbachii,
f 4 Thomæ

MERARII vitam Phil. MELANCHTHONIS Hagæ Comitum A. 1655. recuſam, ac Petri GASSENDI vitam PEIRESCII, ibidem A. 1651. typis exſcriptam, cui penes me quidem ſingulare affectionis, quod vocant, pretium inde acceſſit, quod olim fuerit laudati CARPZOVII, qui variis illud annotamentis, erudita manu ſua adjectis, condecoravit. Gratiſſimum mihi præſertim eſt hoc vitæ Peireſcianæ exemplar, quod ſedulo triverunt Duumviri præſtantiſſimi, tam ſtrenue ac feliciter Gallicum illum literarum Mæcenatem imitati, in quibus Germania noſtra habebat, quod ipſi jure ſummo conferre poſſit.

(c) vid. præfat. Catalogo bibliothecæ ejus præfixam.

(d) vid. Henr. Leonh. SCHURZFLEISCHII Notitiam Bibliothecæ principalis Vinarienſis, p. 39, ſq.

(e) vid. Cel. J. M. GESNERI Notitiam Bibliothecæ Schurzfleiſchianæ, quæ in Ducalem Vinarienſem feliciter illata eſt, p. 20. ſqq.

(f) vid. *Giornale de Letterari d' Italia* Tom.

Thomæ CRENII (g), et Eduardi BERNARDI, qui ex Britannia in Belgium navi ſe transvehendum hac potiſſimum cauſa curavit, ut ex bibliotheca Nic. HEINSII voci præconis ſubjecta claſſicos auctores omnium generum, aut cum MSS. collatos, aut quorum marginibus docta Joſephi SCALIGERI, Bonaventuræ VULCANII, HEINSIORUM, Patris et Filii, aliorumque, qui hanc egregiam literaturæ partem ſummo cum omnium applauſu poſt renatas literas tractarunt, manus ſcholia, emendationes et conjecturas alleviſſet, erogatis pene ultra modum nummis, non ſine gravi rei familiaris damno, in peculium, ad pretioſiorem ſupellectilis librariæ partem inde conſtituendam, ſibi compararet, ventis furentibus navim, teſte Thoma SMITHO (h), alacer conſcendens, non aliter ac

---

Tom. XXIV. p. 49. ſqq. ubi inſignis hujus literarum patroni vita ac merita deſcripta ſunt, adjecto librorum tum calamo exaratorum, tum manu doctiſſimorum virorum illuſtratorum, quos poſſedit, catalogo. Exhibetur quoque ibidem ejus imago æri inciſa.

(g) vid. ejus Animadv. Hiſt. philol. Part. XI. p. 195.

(h) in vita Edu. BERNARDI, cum Roberti HUN-

ac nautæ, bona freti ſpe ex oris Africanis aut Americanis, vaſtiſſimo licet mari interjecto, aurum reportandi. Ad quadringentos autem VFFENBACHIUS ſingulari ſane felicitate in bibliothecam ſuam intulit libros tum veterum, tum recentiorum auctorum, manu clariſſimorum virorum vel collatos, vel annotationibus emendatos, illuſtratos atque auctos. Quantum bonæ frugis in iis quærendum fuerit, vel ex ſolis nominibus eorum, quorum manus in illis ſunt conſpicuæ, conjecturam facere licet. Sunt autem Theod. Janſ. Almelovenii, Eguinarii Baronis, P. Bergeri, Abr. Berkelii, Matthiæ Berneggeri, Dav. Blondelli, J.H. Boecleri, Henr. Bullingeri, Frid. Ben. Carpzovii, Caroli Ducis Croyaci, Jacobi Crucii, Petri Cunæi, Gisb. Cuperi, Jo. Druſii, Jo. Duræi, Hulderici ab Eyben, Jac. Eyndii ab Hæmſted, Petri Francii, Andreæ Gailii, Conr. Goclenii, Wilhelmi Goës, Melch. Goldaſti, Jac. Golii, Theophili Golii, Hugonis Grotii, Jo. Nic. Hertii, Chriſtoph. Hegendorfii, Donati Jannoctii, Hadr. Junii, Car. Henr. de Klettenberg, Jo. Ge. Kulpiſii, Jobi Ludolfi, Jo. Henr. Maii patris et filii, Ant. Matthæi, Guil. Merulæ, Dan. Neſſelii, Adolphi Occonis, Godofr.

f 5 Olearii,

HUNTINGTONI Epiſtolis &c. Londini A. 1704. edita, p. 42. ſq.

Olearii, Jo. Bapt. Ottii, Jac. Palmerii a Grentemeſnil, Jo. Paſſeratii, Georg. Remi, Joſ. Scaligeri, Wilh. Schickardi, Jo. Schneidewini, Jo. Theod. Schenkii, Balth. Schrenk de Nozing, Petri Scriverii, Jo. Sleidani, Phil. Jac. Speneri, Theoph. Spizelii, Jo. Stigelii, Jac. Tollii, Laur. Tuppii, Jo. Chriſtoph. ab Vffenbach, aliorumque, quorum venerandas manus ac luculenta ingenii, diligentiæ et doctrinæ veſtigia in illis libris non ſine voluptate ac fructu inſigni invenire licebat.

Quanti nobile iſthoc librorum genus fecerit vir eruditiſſimus Theophilus Siegfrid BAJERUS, ex hoc ejus deſiderio elucet (i): *Illorum, qui ad libros aliqua annotarunt, optavi dudum, ut ſingularis index ederetur, qui eſſent, quibusve locis exſtarent, quod adhuc mihi perſuadeo non ſine fructu futurum. His ſane inſtruendæ ſunt publicæ bibliothecæ, his multo evadunt celebriores, quam omni reliqua pompa.* Et quis, quæſo, paullum humanior non magni faciat, interque literaria referat cimelia libros miniatula Attici cujusdam cerula notisque cenſoriis inſignitos, lectionibus variis ac obſervationibus ab erudita manu exornatos, talesvè, quales Seneca ſuo impertivit amico, ſcribens: *Mittam tibi libros, et ne multum operæ impendas, dum*

paſſim

(i) in diſſertatione de elegantia manuum eruditarum, inſerta cel. LILIENTHALII Selectis hiſtoricis et literariis continuatis, p. 296.

paſſim profutura ſectaris, imponam notas, ut ad ea ipſa protinus, quæ probo et miror, accedas.

Tandem quoque magnam adhibebat diligentiam, ut virorum celebrium, quorum vel epiſtolas archetypas, vel libros propria manu ſcriptos notatoſve nanciſci haud poterat, ſchedulas quasdam ἰδιοχείρως adipiſceretur, quas deinde certo ordine digeſtas et conglutinatas in ſingularia volumina coegit, et Gallico more liganda auroque nitide exornanda curavit, quorum duo complectebantur autographa Regum, Principum, Comitum, Nobilium et aliorum illuſtrium virorum, circiter bis mille, ex albis, libris eorum manu ſignatis, epiſtolis ab ipſis ſcriptis, aliisque chartis excisa et coacervata; tria autem ſchedas Theologorum, JCtorum, Medicorum, Philoſophorum et Philologorum manu inſignitas, quarum numerus ad quatuor fere millia aſſurgebat. Non enim res tantum delectationis plena eſt, virorum, quorum eminentiam, merita et doctrinam veneratur orbis, ἴδιον χαρακτῆρα et ipſarum manuum chartis impreſſa veſtigia conſpicari; ſed eximium ſæpe etiam hæc autographa uſum præbent ad judicium rite ferendum, ſi quibus forte ſchedis codicibusve MSS. vel libris manu erudita illuſtratis, ubi nomen ſcribentis reticetur, potiundi datur occaſio, a quonam illa κειμήλια profecta ſint, quemve auctorem agnoſcant: id quod ſane haud exiguum momentum ad juſtum chartis illis librisve

librisve ſtatuendum pretium, et controverſias interdum quoque dirimendas afferre, periti omnes rerum æſtimatores facile concedent. Idem olim fuit ſtudium Friderici BORROMÆI Cardin. Ambroſianæ Bibliothecæ conditoris eminentiſſimi, et Vincentii PINELLI, ad quorum veneranda nomina doctus aſſurgit orbis. De illis enim hæc habet Paulus GUALDUS (k): BORROMÆUS jun. *Card. cum inſigniorum virorum autographa ſchedia diſcuperet, dignoſcendis marginalibus librorum annotationibus calamo exaratis uſui futura, uni Pinello negotium detulit, qui diu graviſſimeque ægrotans, brevi tot nobilium ſcriptorum manus congeſſit, ut et Cardinali multa transmiſerit, et ſibi non pauca in bibliotheca ornamentum reſervarit.*

Hos igitur ſibi potiſſimum limites in librario ſuo theſauro inſtruendo atque amplificando tandem conſtituit Noſter, cum ſe primum in eo erraſſe deprehendiſſet, quod bibliothecam omnium diſciplinarum operibus inſtructiſſimam condere animum improvide induxerit.

EXPLICIT PRIMA PARS.

(k) in Vita Vinc. PINELLI, p. 340. collect. Bateſianæ.

XCVII.

ZACH. CONRADO AB VFFENBACH

ERN. MARTINUS PLARRE.

Promiſiſti , Amicorum Optime , Te labores meos ſubinde opera Tua juvaturum , ac pollicitus es excerpta quorundam ſcriptorum , quorum in urbe noſtra copiam habere non poſſum. Tuum itaque auxilium imploro , enixe rogans ,

ut

ut ſequentia uſibus meis ſubminiſtrare annuas: 1. Habetur in Bibliotheca Francofurtenſi Bened. *JOVII Hiſtoria Novocomenſis* in 4to: ex hujus primo Libro reſcire velim, quod de origine et etymologia vocis *Comi*, et unde *NovoComum* dicatur, attulit, adjecta pagina, ubi ſedes eſt hujus argumenti. 2. In BAYLII Dictionario Hiſtorico-Critico, quod Gallico ſermone prodiit in Fol. voce: *Neufchatel* non dubito ſingularia contineri, quorum copiam avide deſidero. Sed videndum eſt, an de illo *Novocaſtro* agat, quod in Helvetia ſitum eſt, quodque *Neufchatel ſur le Lac* dicitur, ut diſtinguatur ab aliis hujus nominis oppidis, quorum aliquod in Burgundiæ Comitatu eſt, quod pariter ſuos Comites habuit, ſed ab Helveticis plane diverſos. Hanc diſtinctionem equidem in Annalibus deprehendi; ſed non potui invenire, an communis ſtirps ſit utrorumque. LAZIUS in ſuo de Migrationibus Gentium volumine Helveticos appellat Comites de Neuenberga illos de Novo Caſtro: neque tamen primam eorum originem ſatis dilucide demonſtrat. Helvetios gentem Gallicam eſſe Cæſar et Tacitus profitentur, ſed præter hos Strabonis Geographiam, Pomp. Melam de Situ Orbis, Ptolomæum in Deſcript. Orbis, Plinium in Hiſtoria Naturali, Solinum in Polyhiſtore, Stephanum Byzantinum de Vr-

bibus

bibus libenter conſulerem, viſurus, an et illi Helvetios Gallorum gentem vocent, et intra Galliæ limites conſtituant. Quum ergo te omnes illos ſcriptores poſſidere ſciam, per mihi gratum feceris, ubi Libros, Capita, numeros et paginas illorum, indicaveris, ubi hæc de Gallica Helvetiorum origine habentur. 4. An Ptolomæus in Geographia ſua Provinciæ maximæ Sequanorum injiciat mentionem, et quibus limitibus eam circumſcribat? pariter, ſi placet, indicabis. Et 5. ſi Plinius cum notis DALECHAMPII ad manus ſit, percuperem ſcire, quid ille ad Plinii Libr. III. Hiſtor. natur. Cap. IV. de *Avanticis populis* eorumque ſede notaverit.

Atque hæc ſunt, ubi aquam mihi hærere fateor. Facies rem dignam Tuo in bonas litteras ſtudio, ſi excerpta ſcriptorum, unde lucem expecto, non invideris, eaque transmiſeris. Accepi nuper admodum litteras Lubeca, quas Jacobus a MELLE, in litteraria Republica Numismaticis ſcriptis haud incelebris, ad me dedit, ſimulque duas LEUTINGERI partes ex publica urbis Bibliotheca uſibus meis dicavit. Cujus exemplum ſi alii imitarentur, adhuc ſpes aliqua ſupereſſe poſſet protrahendi in lucem incomparabilis ſcriptoris, in quo habemus, quod Gallorum THUANO, et BU-

CHA-

CHANANO Scotorum queamus æquiparare. Wezlariæ XVII. Novembr. CIↃ IↃCCVII.

XCVIII.

ERNESTO MARTINO PLARRE
Z. C. AB VFFENBACH.

Licet in poſtremis Tuis nullam mearum Litterarum, quas nuper ad Te dedi, mentionem facias, recte tamen in manus tibi veniſſe ſpero. Quare citra ambages ad ea, quæ a me quæſiviſti, ſed utinam ex voto, reſpondere conabor. Quod primum igitur momentum attinet, JOVIUM, qui mihi ipſi ad manus eſt, evolvi, atque ſequentia de origine et Etymologia urbis et vocis Novo-comi excerpſi.

Benedicti JOVII Novocomenſis Hiſtoriæ Patriæ Libri duo. Venetiis ap. Anton. Pinellium MDCXXIX. in 4t.

In præmiſſa Caſſiodori Epiſtola ad Gaudioſum, Theodorici in Italia Regis Cancellarium. Quæ (urbs Comum) licet munimen clauſtrale probetur eſſe provinciæ, in tantam pulchritudinem perducitur, ut ad ſolas delitias inſtituta eſſe videatur. In ſequentibus ſitus amœnitatem deſcribit, inde-

indeque concludit: merito ergo *Comi* nomen accepit, quæ tantis lætatur compta muneribus. &c.

JOVIUS Libr. I. initio (nam in Capita diſtinctus Liber non eſt) p. m. 1. Comum Orobiorum ſtirpis fuiſſe conſtare ait. Qui autem fuerint, aut unde venerint Orobii, diſquirit, atque ejus Italiæ tractus indigenas, non Græcos, quod Cornelius Alexander exiſtimavit, demonſtrare ſtudet. p. 2. Quibus autem nominibus oppida a ſe condita appellaverint, non conſtare aſſerit. Procedente vero tempore anteque urbem Romam conditam Thuſci ante dictam regionem univerſam pulſis veteribus colonis habitaverunt. Poſtea Tarquinii Priſci temporibus Thuſci a Gallis commiſſo prælio fuſi duce Rheto ad Alpes profugerunt, quibus occupatis Rhetiæ nomen dedere. &c. Thuſcis igitur e ſedibus pulſis Galli (ut tradit Juſtinus Lib. XX, Cap. V.) Mediolanum, Comum, Bergomum &c. condiderunt: id eſt mœnibus cinxerunt, cum ibi homines antea vicatim habitarent, quod de Mediolano refert Strabo, et nomina indicarunt ſeu indiderunt.

Quorum explicare rationes etſi multis admodum facile viſum ſit, pro libidine omnia interpretantibus, mihi tamen longe difficillimum videtur, niſi quis eorum temporum Gallicam linguam fortaſſe calluerit. p. 4. Nam quæ de Mediolano ad-

ducuntur Latinæ etymologiæ ad rem non faciunt, cum ea tempeſtate Latinus ſermo anguſtis adhuc regionibus clauderetur: ideoque Gallica potius vocabula gentem victricem conditis a ſe oppidis indidiſſe crediderim. &c. Scribit Caſſiodorus (*loco ſupra citato*) Comum quaſi multis naturæ muneribus comptum ita merito nuncupatum: quod ipſe finxit, neque Latinam interpretationem capere poſſe ſuperius expoſuimus, cum a Barbaris id nomen factum conſtet. Exiſtimavi quandoque a Græcis o tum, quaſi vicum dixeris, nam come (κώμη) Græce, vicum Latine ſignificat, quod nomen adhuc Latine retinet unum e ſuburbiis vicus. Sed cum Gallos conditores habeamus hujus nominis auctores, nihil affirmaverim. At vero Galli a Romanis ſubacti, atque Colonia Comum deducta, quam Rheti vaſtaverunt, Pompejus Strabo, M. Pompei pater, colonos in eam reſtituit, poſtea Julius Cæſar etiam eo inquilinorum quinque millia deduxit &c. Hinc Novi-Comi appellatio orta eſt. &c. Hæc ſunt, quæ omiſſis alienis, quæ diffuſus atque obſcurus Autor immiſcet, exſcribenda duxi. Propria fere ipſius verba ſunt. Recte equidem mea opinione Caſſiodori nominis derivationem rejicit JOVIUS, utpote frigidam atque ineptam. Siniſtre tamen ipſe a Gallis eorum-

eorumque lingua deducendam putat,cum verba Juſtini bene interpretetur,quod urbes ſupra nominatas non condiderint , velut iſtis temporibus vetuſtiores , ſed auctas mœnibus cinxerint. Perperam igitur de Græca vocis origine ſententiam abjicit; ex hac enim lingua multarum urbium nomina compoſita habemus, quorum tamen longe minor ratio apparet. Cum Orobii primi iſtius regionis cultores atque urbis auctores pro Græcis a multis habeantur, atque de Tuſcorum etiam lingua , qui his ſucceſſerunt, conſtet, poſt Græcorum in iſtis oris adventum non plane nihil ex Græca eam in ſe derivaſſe. CELLARIUS in Geographia Antiqua Tom. I. Lib. II. C. VII. p. 526. exiſtimat, non pronum eſſe, affirmare , annon Tuſci illi antiqui Græcis literis uſi fuerint. Quæ vero JOVIUS affert , cur Novo - Comum poſtea appellatum ſit , a nova nimirum colonia , ſatis patent , atque a Rob. STEPHANO in Dictionario hiſtorico - geographico confirmantur.

Tuum vero Novo-Comum ex Græco nomen habere, nullum plane credo dubium eſſe. In BAYLII Dictionario , quod inſpiciendum ſecundo loco juſſeras , nihil invenire potui, quod e re tua ſit, neque in MORERI Lexico quicquam. De Co-

mitum de Novo - Caſtro Burgundicorum familia ſperabam me multum lucis hauſurum ex PARADINI Libro, *Alliances genealogiques des Roys et Princes de Gaule*, qui inprimis, ubi de Burgundiæ Ducibus agit, multarum cum iisdem cognatarum minorum familiarum rationem habet; ſed ſpes me fefellit. Elias REUSNERUS in opere ſuo genealogico utramque omiſit. Nec SPENERUS inter Galliæ ſtirpes hanc producit, neque in Theatro Nobilitatis Europææ alteram. In operis quidem Heraldici parte II. Lib. I. Cap. XX. p. 322. de Marchionibus de Varambon C. de Varax et de la Roche Dn. de Neuf-Chatel agit: ſed Comitum iſtorum de Neuf-Chatel nullam niſi in LAZIO mentionem invenio. Neque etiam in Mappis geographicis, neque in ZEILLERI Topographia Gall. neque alibi in Burgundia Comitatum Novo-caſtri deprehendo. Nec LAZIUS ſitus meminit; vocat quidem Theobaldum Dominum a Novo Caſtro Burgundiæ Mareſchalcum, ſed hæc dignitatis, non comitatus ejus demonſtratio eſt. ZEILLERUS varia in Inſula Franciæ, Normanniæ &c. ejusdem nominis loca enumerat, ſed comitatum nullum. BUCELINUM, nuper a me emtum, ſi ex bibliopegi manibus recepero, ſedulo etiam perluſtrabo.

In

In Ptolomæi Geographia hæc a me reperta ſunt, tibi non ingrata futura: Lib. II. Cap. IX. de Galliæ Belgicæ ſitu p. 19. edit. Baſil. A. 1545. in fol.

Latus Galliæ Belgicæ, quod ad Solis ortum ſpectat, a Rheno fluvio terminatur juxta magnam Germaniam, cujus caput gradus habet 29. 20. 46. o. &c.

p. 20. poſt montem, qui appellatur Juraſſus, ſunt Elvetii juxta Rhenum, *Suizeros vocant ſive Suiſos*, quorum civitates Gannodum, Conſtantia, Forum Tiberii, *Schwiz*, ſub iis Sequani, *Comitatus Burgundiæ*, quorum civitates Dittatium, *Haſenburg*, Viſuntium, *Beſuntio*, *Beſanſon*, Equeſtris, *Neuf-Chaſtel*, Avanticum, *Wiſelſpurg, Caput olim gentis Helvetiorum, ex cujus ruinis hodie pagus Avanche inter Loſanam et Friburgum.* Hæc Ptolomæus. Quæ minuſculis literis expreſſa, ſunt ſcholia Seb. MUNSTERI, quibus, ut titulus libri habet, exoleta urbium &c. nomina exponuntur.

In adjecta Galliæ veteris tabula, quæ ejusdem MUNSTERI ſtudio debetur, hæc leguntur: *Galliæ Belgicæ populi, Morini, Batavi, Atrebatii, Stellevai, Ambiani, Tongri, Nervii, Remi, Triveri, Mediomatrices, Nemeti, Vangiones, Triboci, Raurici, Elvetii, Sequani. Civitates Caſaromagus, Atuacutum, Rothomagus, Auguſta Triverorum, Diodurum, Tullum, Naſium, Dittacium, Avanticum &c.*

g 3 Ex

Ex quibus vides, Helvetiam a Ptolomæo quoque Galliæ annumerari, Avanticum caput Helvetiorum ſtatui, Novocomum vero a MUNSTERO Equeſtris nomini adjici. Audi, quæ ſupra laudatus STEPHANUS p. 887. monet: *Equeſtris Ptolomæo Sequanorum civitas in Gallia* (ſcil. vet. Belgica,) *vulgo Neuf-Chaſtel; multa alia circa montem Juram civitates, ut Geneva, Lauſanum et alia eodem nomine apud veteres ſcriptores appellantur. Ægidius SCHUDIUS in Deſcriptione Rhætiæ equeſtres colonias vocat totum illum tractum, qui hodie dicitur Le Pais de Chablais: q. d. Caſtellanorum ſeu Equitum habitatio, et extenditur a capite Lacus Lemanni uſque ad ejus anguſtias ad Orientem. Harum limites Geneva antiquiſſima civitas, quæ Equeſtris etiam dicta eſt a Plinio, et aliarum caput fuiſſe videtur.* Hæc Stephanus.

Plinium quoque inſpiciam, cujus non ſolum DALECHAMPII, verum etiam HARDUINI in uſum Delphini, et cum notis variorum GRONOVII editiones præſtantiſſimas habeo. Quicquid in eo tibi inſerviens, atque in veteribus Geographis omnibus reperturus ſum, proxime indicabo. Interim hæc boni conſule. Animi autem cauſa addere aliquid liceat ad rem literariam ſpectans. Nactus ſum his diebus egregii libri de Imitatione Chriſti editionem

editionem Argentinenſem A. MCCCC-LXXXIX. in 12. Trita eſt controverſia, quæ de vero hujus libelli auctore, Thoma a KEMPIS, vel, ut alii volunt, Joanne GERSONE aut GERSEN, acerrime agitata eſt, de qua prolixam diſſertationem Elias DU PIN (a) Tom. XII. Bibliothecæ

(a) Poſt DU PINIUM inſtar omnium de hac lite conferri poſſunt Celeb. P. Euſebii AMORT plena et ſuccincta Informatio de ſtatu totius Controverſiæ, quæ de Authore libelli de Imitatione Chriſti inter Thomæ KEMPENSIS Canon. Regul. et Joannis GERSENIS Ord. S. Bened. Abbatis Patronos jam a centum annis agitatur, ubi ſimul utriusque partis argumenta juxta leges artis criticæ expenduntur, Aug. Vind. A. 1725. excuſa, ejusdemque Epiſtola Critica de punctis controverſiæ Kempiſianæ præcipuis, ἀνωνύμως Amœnitat. liter. Tom. VIII. p. 391. ſqq. inſerta: ac Rev. P. Thomæ Aqu. ERHARD Polycrates Gerſenenſis contra Scutum Kempenſe inſtructus prodiens, ſive Apologia pro Joanne GERSENE Ord. S. Bened. Abbate, tanquam genuino protoparente libelli de Imitatione Chriſti, contra Rev.

ſuæ eccleſiaſticæ inſeruit, in qua utriusque partis ex quadraginta ſcriptis hac de cauſa editis rationes, quas ex MStis, variis editionibus et Scriptorum veterum teſtimoniis prolatas collegit et ponderavit, litem vero indeciſam in medio reliquit: quæ etiam pendebit ſemper ob ſubdolas machinationes fraudesque pias duorum Ordinum monaſticorum, quorum quilibet ſuæ ſodalitatis homini et honori ſtrenue vindicare conatur ſcriptum ob pietatem elegantiamque pro ſumma iſtius ſæculi barbarie ſingularem magni faciendum. Varias DU PINIUS editiones antiquiores producit, meam vero omiſit, quæ ideo præſtantior mihi videtur, quod Joannis GERSONIS, Academiæ quondam Pariſienſis Cancellarii, de meditatione cordis exiguus libellus in fine adjectus ſit, qui forſan errori anſam dedit, quod, cum more antiquo et ob argumenti etiam ſimilitudinem cum Thomæ a KEMPIS tractatu in unum volumen plerumque congeſtus

Rev. D. Euſebium Amort, itidem Auguſtæ Vind. A. 1729. edita. Mihi quidem, quanquam illi controverſiæ immiſceri nolim, Clar. Euſebius Amort, libellum illum Thomæ Kempenſi vindicans, rem acu tetigiſſe videtur.

ſtus fuerit, poſtmodum ſcribarum oſcitantia auctorum duorum nomina et neglecta et commutata, omiſſoque minutulo Gerſonis ſcripto ejus tamen nomen, quod in fine erat pro eorum temporum conſuetudine, altero librariorum incuria rejecto, adſcriptum. Francofurti. d. 26. Nov. 1707.

XCIX.

RAYMUNDO KRAFFT A DELLMENSINGEN

ZACH. CONRADVS AB VFFENBACH (b).

Tantum fuit gaudium, quod non ſolum exoptatiſſimæ literæ tuæ, quæ mihi felicem ad Lares reditum tuum, et animum in abſentia propenſum nunciarunt, ſed etiam

(b) Jucundum lectoribus meis fore autumo familiari duorum illuſtrium noſtri ævi Mæcenatum, ac bibliothecarum inſtructiſſimarum conditorum confabulationi intereſſe. Specimen igitur commercii literarii inter eos habiti hic ſubminiſtrare viſum eſt. Memoriam Viri de me immortaliter meriti, b. RAYM. KRAFFT DE DELLMENSINGEN, Conſulis Ulmenſis, vide, ſi placet, Tom. XI. Amœnit. liter. p. 253. ſqq. Memorabilia autem bibliothecæ ſummo ſtudio ab eo inſtructæ deſcripſi Tom. *III.* et IV. ejusdem opellæ.

etiam liber SERVETI, inprimis vero transmiſſi egregiorum MStorum et librorum ab incunabulis typographiæ impreſſorum Catalogi mihi crearunt, ut, quibus verbis illud tibi ſignificarem, toto enim pectore exprimere plane foret impoſſibile, diu dubitaverim. Sed quid longius hæſitem? cum tuum in rem literariam et librariam animum nunc plane perſpexerim, cumque de rebus nonniſi ad illam ſpectantibus dulce nobis commercium futurum ſit. Quæ vero lingua ad hoc aptior Latina? Oblatrent, qui nomine ſaltem viros doctos et eruditos mentiuntur, barbarum Pædantismi vocabulum. Tu certe, Vir Generoſe, mecum ſenties, de ſacris literarum præcipue caſta lingua Latina loquendum. Nec igitur vitio vertes, quod Latine ad tuas reſpondeam, licet ſtyli mei inelegantiam probe agnoſcam. Abſit enim a me, ut laureolam in muſtaceo quæram. Quod cum perſuaſum habebis, gratias tibi jam ago maximas pro transmiſſis. Serveti liber mihi fuit acceptiſſimus ob raritatem ſuam, licet venenoſos hujusmodi fœtus alias abhorream, nec tamen rejiciendos ab iis puto, qui bibliothecam inſtruunt. Cum enim bibliothecæ pharmacopoliis ſimiles ſint, quod ex his, quæ ad corporis, ex illis vero, quæ ad animi medelam atque ſanitatem faciunt, petas, in hoc etiam per-

perſimiles ſibi invicem ſunt, ut toxica et venenoſa in utrisque merito aſſerventur, cum ex his præſtantiſſima antidota, ſi rite præparentur et adhibeantur, fieri poſſint. Id quotidiana experientia non ſolum corporis, ſed et mentis medela evincit. Quid enim vacillantem noſtrum animum magis erigit, firmat, corroborat, quam ſi videamus, peſſimorum hominum commenta veritati minime eſſe noxia, ſed vana, inſulſa. Sed redeo ad Servetum, ut ex te quæram, num,quod miſiſti, apographum ſit, quod mihi fieri curaviſti, an proprium exemplar. Sin illud, majores tibi habeo gratias, ſin hoc, pace tua deſcribi faciam. Eſt mihi copia libelli, quem STOSCHIUS, Regi Boruſſiæ ab epiſtolis, olim maximo Regi ſuo multisque ſcandalo emiſit, ſub *Concordiæ rationis et fidei* titulo, licet verius inter ipſas diſcordia maxima ſit; hunc, ut aliqualem tibi referrem gratiam, tranſcriptum mittere conſtitueram. Aſt niſi me fallit opinio, illum ipſum libellum in Catalogo tuorum MStorum jam reperio. Quare Chronicon aliquod ejus vice tibi transmitto. Plura ejusmodi tecum communicabo quam lubentiſſime, idemque ut facias, efflagito. De quo cum me ſingularis tua humanitas, quæ viros equidem doctos omnes decet, rariſſima tamen

eſt

eſt, dubitare non ſinat, rogo te, ut Chronicon quoddam Ulmenſe aut Auguſtanum, typis nondum vulgatum, deſcribere facias. Nunquam ingratum me deprehendes, ſed illico redhoſtimenti loco, quæcunque modo ex penuria mea deſiderabis, habebis. Doleo autem quam maxime, quod neque MStorum meorum, neque librorum a prima artis typographicæ inventione intra ſeſquiſeculum typis exſcriptórum Catalogum jam mittere queam. Sed do tibi fidem, me, quam primum mihi otium erit, illorum omnium indicem exaraturum, cujus tu exemplum confeſtim a me accipies. Præſtabo id, quam primum Diarium itineris, nuper per Saxoniam inferiorem, Friſiam, univerſum Belgium et Angliam a me peracti, quod nunc præ manibus habeo, abſolvero. Interim tuorum Catalogum grato ſemper animo verſabo; lætor ſane, tibique de tanto apparatu, imo theſauro, gratulor. Niſi jamdum epiſtola prolixior eſſet, ſingulatim de præcipuis gaudium meum teſtarer, ſed de illis in poſterum. Reſtat nunc, ut deſideriis tuis adhuc ſatisfaciam. Feci jam ex parte, Cellariique Atlantem e veſtigio emi. Opportune egi. Valkius enim nonniſi unicum exemplum coloribus depictum hiſce nundinis attulerat, quod altero ſtatim die poſt acceptas

ceptas tuas literas decem florenis redemi, quod calculus Valkii manu confectus probabit. Maluiſſem exemplar incompactum, et integris marginibus, ſed cum minori incommodo et ſumtu fiat, talia ſolummodo advehunt. Quare, ſi recte memineris, meum quoque exemplar ejusmodi eſt. Afferet igitur, qui tuas mihi reddidit, quale nanciſci potui. Haſce vero literas malui veredario credere, ut ocyus eas habeas, egoque citius reſponſorias tuas recipiam. Abſit enim, ut nonniſi nundinis aliquid literarum des. Tantum namque meum eſt tuarum deſiderium, ut crebriores a te expectem. Illis enim, qui ſtudia et bonas literas amant, frequens et grata ſemper datur ſcribendi occaſio. Sed ad alterum, quod a me petiiſti, jam venio. Libellus, in quo Cupido inter ſacra Davidem cythara ludentem, ac Bathſebam deperientem telo petens effictus cernitur, precum liber eſt, qui initio hunc titulum: *Hortulus anime zu Teutſch Selen Wurtzgertlein genannt, mit vil ſchönen Gebeten und Figuren;* in fine autem hanc clauſulam habet: *Gedruckt zu Nürnberg durch Fridericum Peypuſs, für den Erſamen Johann Koberger Bürger daſelbſt, im Jar nach der Geburdt Chriſti MCCCCCXVIII. am achten May ſeligklichen volendt.* Plures is habet imagines, affabre ſculptas, membraniſque, ut ipſe etiam

tex-

textus, impreſſas, forma, ut dicunt, duodecima. Animadverti, te, niſi titulus fallit, illum ipſum librum poſſidere, aſt alio tempore, loco, aliaque forma, Ulmæ nimirum per Conradum Dinckmut A. 1483. in 4. editum. An hic quoque figuris exornatus ſit, ſcire averem. Ridicula illa ſtatim initio Pſalmis, qui pœnitentiales nuncupari ſolent, præfigitur, an vero ad pœnitentiam magis, vel potius riſum movendum aptior, barbaris iſtis temporibus nulla ſane cura fuit. Finem jam facio, ne tibi primæ meæ epiſtolæ nimia prolixitas moleſta ſit, teque valere jubeo. Filiis tuis, tibi mihique chariſſimis, ſalutem plurimam dico, maximam vero illi, qui, ut ægre ſane audivi, ægrotat oculis. Sint ipſi, precor, brevi, ut ait Horatius, lucidum fulgentes ocelli! d. IX. Apr. MDCCXII.

C.

C.

RAYMVNDO KRAFFT A DELL-MENSINGEN.

Nullus dubito, quin literæ nuper ad te datæ opportune tibi fuerint redditæ. En nunc libros, quos boni conſules. Addidi Catalogum librorum, quos vel incuria, vel ob illorum præſtantiam interdum conſulto coemi, quorumque duplex mihi copia eſt. Non mihi eſt dubium, tibi quoque tales in promtu eſſe. Cum igitur eorum indicem viciſſim dabis, permutatio nobis utrisque grata, ſpero, erit. Occurrent in meis certe non ubivis obvia. Quæ vero tibi arrident, in ſchedula notabis, ut ſeponere, tibique data occaſione transmittere queam. Nil profecto mihi optatius, quam ut viros bibliophilos adjuvem: nihilque magis odio habeo, quam bibliotaphos. Utinam omnibus talis eſſet animus! multo certe facilior ac jucundior foret bibliothecæ collectio atque inſtructio. Agamus igitur, Vir humaniſſime, nobisque invicem opem feramus ſtrenuam. Jube modo, induſtrium ſemper et ad quævis paratiſſimum me reperies, idemque abs te promitto mihi certiſſimus. Ut igitur meam in te confidentiam

tiam cernas, rogo, ut vetera jura Suevica vulgo *Schwaben-Spiegel* mihi procures; officium certe præſtabis inſigne, meamque ſtatutorum ac jurium collectionem inſigniter ornabis. d. XVI. Apr. MDCCXII.

CI.

RAYMUNDUS KRAFFT A DELLMENSINGEN.

Tritum illud: *non minor eſt virtus, quam quærere, parta tueri*: et mihi optimo maximo jure objici poſſe videtur. Poſtquam enim æſtimatiſſimam Tui converſationem quæſivi, et per eandem etiam, favente fortuna, benevolentiam Tuam mihi peperi, ita ut non ſolum Francofurti multo honore me affeceris, et ſelectiſſimam Tuam Bibliothecam perluſtrare mihi permiſeris, verum etiam diverſis Tuis doctiſſimis atque exoptatiſſimis Epiſtolis me honoraveris, officium tamen debitæ reſponſionis non ſtatim obſervavi, et ſic partam ſemel amicitiam me non omni opera vel diligentia tueri, jure merito accuſari poſſem. Verum enim vero ſancte affirmare poſſum, quamvis Tua, Vir Generoſe at-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

que Doctiſſime, mihi parta benevolentia maximo mihi in pretio ſit, tamen non omnino per me ſtetiſſe, ut reſponſorias debitas citius exararem, quoniam aut legationibus, aut peregrinationibus, vel continuis negotiis adeo implicitus hucusque eram, ut nunquam mihi ipſi vacarim, proinde longum meum ſilentium ne in malam accipias partem, obnixiſſime rogo. Interim tamen curæ cordique mihi fuit, communicatione omnium petitorum inſervire, ita ut, quemadmodum confido, ſtudium meum exinde perſpexeris, ad quod porro continuandum promtiſſimum me offero, et quæſo, jube modo, ſi quidquam ex paucis meis manuſcriptis deſcriptum velis. Chronica interim Auguſtana, uti poſſideo, per præſentem Tibi transmittere volui, libenter equidem ea deſcribi curaſſem, niſi minus accepta fore veritus eſſem, ſicuti de Ulmenſi Chronico mihi percipiendum fuit; quapropter eadem prius ad ſtatum videndi Tibi transmittere et concredere malui, officioſe rogitans, ut ſi minus placeant, per hunc tabellarium mihi remittere velis; ſi vero accepta forent, usque ad proximas nundinas autumnales illa retinere, et pro lubitu vel tota, vel eorum partem deſcribi curare poteris. Clar. Profeſſori JOANNIS, ni grave ſit, data occaſione nuncia-

to,

to, me epiſtolas eruditorum virorum, quæ in bibliotheca Spizeliana aſſervabantur (c), nunc poſſidere, ejusque uſibus offerre.

Liber, quem ſub Titulo *der Seelen Wurzgarth in 4to.* poſſideo, plurimis figuris eſt exornatus, verum non eſt liber precum, ſed merè hiſtoricus, continens hiſtorias Veteris et Novi Teſtamenti, et præterea multas fabulas de Purgatorio, Antichriſto &c. ChroniconNorimbergenſe MStum, quod mihi ad manus, eſt, uti Tituli et initialia verba clare indigitant, illud ipſum quod Tibi emere contigit, niſi quod meum non ad finem anni 1556. perductum ſit, ſed in Anno 1552. hiſce verbis finiat: *Nach diſem rukhet der Kayſer mit ſeinem Heer auff Ulm, und von dannen zog Er an Rheinſtrom dem Marggraffen nach.* Quod attinet ad Librum, Jura Suevica, vulgo *Schwaben-Spiegel* dictum, quem a me deſideras, doleo, eum mihi præſto haud eſſe; offero autem tibi alium hujusce generis librum, hoc titulo inſignitum: *Layen-Spiegel, Von rechtmäſſigen Ordnungen in Bürger-*

h 2

(c) vid. ſi lubet, Amœnitat. lit. Tom. III. p. 115. ſqq. et R. M. Moelführeri Acceſſiones ad Almeloveenii Bibliothecam promiſſam et latentem. p. 64. et 115. ſqq.

gerlichen und Peinlichen Regimenten. Mit Additionen urſprünglicher Rechtſprüthen. Auch der guldin Bulla, Küniglicher Reformation, Landtsfriden. &c. Sampt Bewärungen gemeyner Rechten, und anderm Anzeigen. Neülich getruckt zu Straſsburg durch Hans Knoblauch den Jungen. in Folio. A. MDXXXII.

Pro transmiſſis Manuſcriptis et Impreſſis mihi acceptiſſimis gratias Tibi ago et habeo maximas. Serveti apographum, quod Tibi transmiſi, in Tua, ſi placet, reſidere poteſt, Bibliotheca; impreſſum in meis eſt manibus; ut et Stoſchii libellus MStus de Concordia Rationis et Fidei. Cellarii Atlantem coloribus depictum et bene mihi redditum gratiſſima mente recepi. Præter Æneæ Silvii opera Geogr. et Hiſtor. Helmſtadii A. 1699. in 4t. impreſſa ſunt etiam in meis manibus Pii Secundi Pontificis Maximi Commentarii Rerum Memorabilium, quæ temporibus ſuis contigerunt, A. R. D. Johanne Gobellino Vicario Bonnen. jamdiu compoſiti et a R. P. D. Franciſco Bandino Picolomineo, Archiepiſcopo Senenſi ex vetuſto Originali recogniti, cum acceſſione Jacobi Picolominei Cardinalis Papienſis, qui Pio Pont. coævus et familiaris fuit, Rerum geſtarum ſui temporis, et ad Pii continuationem Commentariis luculentiſſimis, et ejusdem

dem (Picolominei) epiſtolis, Francofurti in officina Aubriana A. 1614. in folio. Inter libros noviter interea coemtos contigere mihi et quidem ex MStis Commentarius in Hiobum Membranaceus, ſine anno quidem, ſed caracter ejus pervetuſtus ipſe loquitur, quod 400. annos ad minimum excedat: et ex impreſſis Xenophontis opera omnia, græce, A. 1525. Herodoti libri novem, græce A. 1502. Philoſtratus de Vita Apollonii, græce, et Euſebius contra Hieroclem, græce, A. 1501. omnes Venetiis per Aldum Manutium, in folio; ob quem Typographum Aldum hos libros recenſione dignos exiſtimavi. De Computo Commentarii Johannis de Monte Regio in Almageſtum Ptolomæi ratione anni impreſſionis 8480. explicatio in ſchedula appoſita mihi data fuit, quam proinde tecum communicare mearum partium duxi. Quod ad Gerſonis opera pertinet, judicio Tuo, Partem I. et II. quas de his operibus poſſides, A. 1494. typis eſſe excuſas, non auſim contradicere, quamvis editæ ſint ſine anno impreſſionis, quum ſtudium Tuum, uti in omni, ita etiam in hoc literarum genere, mihi notiſſimum ſit, et ipſe etiam horum operum Partem I. II. et III. omnes cum indicio anni 1489. excuſas poſſideam; quod autem ad quartam Partem hujus operis ſpectat, nullus

dubito, quin prima ejus editio fuerit, quæ Anno 1502. prodiit, perſuaſum mihi habens, opera inea contenta prius non fuiſſe impreſſa, cum non tantum in fine quartæ Partis verba, quæ nuper communicavi, ſint clara, ſed etiam frontiſpicium hujus quartæ Partis ea reddat clariora, quod ita habet: *Quarta Pars Operum Johannis Gerſon prius non impreſſa:* et Prologus ipſius quartæ Partis hoc adhuc magis confirmet, ac indubitabile reddat, quando inter alia ita: *Fuere jam pridem plurima noſtri Johannis Gerſon monumenta in tres partes ordinatiſſime diviſa impreſſioni tradita, noviſſime vero his diebus multa ſollicitudine et impenſis ejus, qui opera priora triſariam diſtinxit, inprimique fecit, alia quædam in intimis Pariſienſis gymnaſii penetralibus ac diverſis Galliæ locis quæſita et nutu Summæ Majeſtatis inventa ſunt*; interim inquiſitio Tua hac de re mihi grata fuit, amor et affectus Tuus gratiſſimus, quem ita mihi et filiis meis ſerva, ſicut meum Tibi toto corde reddo. Ulmæ, d. VII. Aprilis. MDCCXIII.

Hoc unicum adhuc coronæ et coronidis loco a Te peto, ut egregiorum Tuorum Manuſcriptorum et librorum ab incunabulis Typographiæ typis excuſorum, ut et nuper in Hollandia comparatorum (de quibus

quibus Tibi ex animo gratulor) Catalogum mihi transmittere non dedigneris.

Durch die primam rerum ætherearum circuitionem verſtehet Joh. Regiomontanus diejenige Zeit, da der Himmel ſamt allen ſeinen Sternen ſich hat anfangen das erſte mahl herumbzudrehen, welches nach Ptolomæi Meynung alle 24. Stunden einmahl geſchihet, und von Erſchaffung der Welt angeſchehen iſt. Folglich iſt annus à prima rerum ætherearum circuitione ſo viel als annus a creatione mundi 8480. Es folget aber Regiomontanus in Zehlung der annorum mundi conditi der falſchen Meynung des Alphonſi Regis Caſtiliæ, welcher in ſeinen mit groſſen Koſten verfertigten tabulis aſtronomicis ſtatuiret, daſs von Erſchaffung der Welt an biſs auf Chriſti Geburt 6984. Jahre verfloſſen ſeyen, wie aus Alſtedii Theſauro Chronol. p. 49. lin. 6. zu erſehen (wiewohlen dieſes intervallum viel zu groſs, und nach dem Calviſio und anderen accuraten Chronologis nur 3949. Jahr oder nicht vielmehr in ſich begreift) wann man nun zu dieſen 6984. Jahren ab anno conditi mundi uſque ad Chriſtum das 1496. Jahr nach Chriſti Geburt (in welchem des Regiomontani Epitome in Almag. Ptolom. gedruckt worden laut der am Ende deſſelben befindlichen Worte) addiret, ſo kommt heraus annus à mundo condito ſive a prima rerum ætherearum circuitione

ne 8480. nehmlich nach der falſchen hypotheſi Alphonſina.

CII.

D. IMMANUELI WEBERO.

Maxima ſane cum voluptate ad literarum commercium ab utroque noſtrum hactenus neglectum redeo. Me autem quod attinet, dura certe, quæ te non latet, neceſſitas fuit, quæ ſilentium mihi imperavit: alias meam de nova, quam merito tuo nactus es, ſparta jam dudum tibi teſtatus fuiſſem lætitiam. Non minorem tamen ideo exiſtimabis, nec ſpernes vota, quæ tacitus fudi, atque ſero licet, non minus cordate tamen nunc etiam ex parte repetam. Faxit Deus T. O. M. ut novum, quod in te ſuſcepiſti, munus, in ejus potiſſimum gloriam, tui ipſius emolumentum, illuſtris veſtræ Academiæ ornamentum, univerſæque Reip. literariæ augmentum quam diutiſſime ac feliciſſime obeas. Eſt ſane, quod gaudeat JCtorum familia de tanto, quem ſibi adſcivit, viro, nec invidebunt illuſtri Ordini decus Muſæ elegan-

elegantiores, ſed lætabuntur potius una mecum, quod novi iſti honores animum non mutent, nec priſtinum, quo illas ſemper complexus es, amorem imminuent. Egregiis certe, quibus me etiam, quod gratus agnoſco, beaſti, documentis ejus fidem feciſti: perges etiam, ſi verus nec infucatus in illas, quod nullus dubito, amor unquam fuit, ſi nominis famam curas, quam celebratiſſimam jam jam reddiderunt, atque æternam tibi pollicentur benigniſſime, ſi denique me ipſum, quod confido, amas. Non opus erit, nec hujus loci eſt, ut felix dulceque elegantiorum literarum cum jurisprudentiæ ſtudio connubium deprædicem. Præſtiterunt hoc verbis diſertiſſimis, egregiisque exemplis comprobarunt Viri longe celeberrimi.

Nec te, quod ſanćte polliceor, nec vane auguror, ejus unquam conſilii pœnitebit. Venerentur alii horrenda Hiſpanorum nomina, unice delectentur, ut ſimiles habent labra lactucas, crambe a Bartolis, Baldis, ſimilisque furfuris homuncionibus cocta, atque a ſequacibus toties ſine ſale recocta; emunctis tuis naribus nauſeam, ſcio, afferent, quam iis, quas elegantiores Muſæ tibi propinant atque ſuppeditant, deliciis abſterges, animumque officii moleſtiis laſſum reficies. Hoc

ſane modo, quod muneris ratio exigit, præſtare, orbique literario, ut olim feciſti, egregie inſervire poteris. Abjecti, humilis, ſervilisque ingenii eſt, unico et improbo labori ſeſe mancipare. Ad altiora tu ſane, Vir conſultiſſime, natus es, virumque te jamjam præſtitiſti, pluribus graviſſimisque non imparem. Sed quid ago? calcar currenti addo. Dabis hoc meo in bonas literas amori, imo ardori, meæque in te benevolentiæ adſcribes. Cogit hæc me, ut hoc etiam addam, quod ſcilicet feliciſſimum me reputavero, ſi eximia tua ſtudia quovis modo juvare potero. Inter egregios quosdam libros, quos e Belgio in dies expecto, erit rariſſimum HENNINGII Theatrum genealogicum, cujus cum mihi duplex exemplum, ſiquidem Viri docti manu emendatum et auctum me jam poſſidere noſti, hoc pacto erit, unum cum alio opere mihi jucundo permutare geſtirem. Accipiam inſuper aliquot codices membranaceos non ſpernendos, quorum unus Sigeberti Gemblacenſis quædam continet, videlicet Vitam S. Guiberti, de geſtis Abbatum Gemblacenſium, vitam S. Maclovi Epiſcopi et Confeſſoris, et hæc quidem, ſi Catalogo fides eſſet habenda, ipſius Sigeberti manu propria ſcripta. Alter complectitur Marbodi Redonenſis Epiſcopi paſſionem, ut barbaris

ris ſeculis loqui ſolebant, S. Laurentii item et Thebæorum, una cum aliis, de quibus omnibus proxime, poſtquam in manibus erunt, et a me perluſtrari poterunt, diſertius perſcribam. d. 31. Mart. 1714.

CIII.

D. IMMANUEL WEBERUS.

Pium votum, quo in nova dignitate conſtitutum me nuper excipere voluiſti, grata mente exoſculor. Deus, unde omnis noſtra ſalus dependet, pondus eidem ineſſe jubeat! Utinam et novi mei Collegæ idem tecum de bonis literis cum jurisprudentia conjungendis ſentirent! ita ſane futurum eſſet, ut ego ipſis, et mihi illi placerent. Sed quum elegantiora ſtudia ipſis inviſa ſint, innutritis quippe vel in ſolis legulejorum artibus, inde ea animorum inter nos conjunctio eſſe vix poteſt, qualem ego quidem eſſe cuperem. Suo tamen ſenſu eos abundare patiar, non defuturus iis, quæ ex nova ſparta mihi facienda incumbunt: neque tamen etiam amœ-

amœniorum Muſarum caſtra deſerturus, præſertim quum in Aula noſtra ſint ex præcipuis, qui mihi ea de cauſa applaudunt, et probe judicant, quam diſtent æra lupinis. Sed de his ſatis. Ex HENNINGII opere genealogico unicus tomus, Hamburgi A. 1590. impreſſus, ad manus eſt. Continet Genealogias aliquot familiarum nobilium in Saxonia, quæ vel a Comitibus vel Baronibus ortæ, quosdam pontificiam, quosdam epiſcopalem dignitatem adeptos produxerunt. Integrum opus HENNINGII nunquam cum cura perluſtravi, ut adeo incertus ſim, utrum hoc volumen partem ejus conſtituat, an vero peculiare, quod videtur, ſcriptum ſit. Peto igitur, me certiorem reddas, et jube tibi mittatur, ubi nondum copia ejus fuerit. Coemi illud ex bibliotheca b. Aſſeſſoris EYBENII, cujus manu multa marginibus allita ſunt, quorum deſcribendorum poteſtatem concedo, quum ſint notatu digniſſima. Interim ſcire velim, quanti veneat opus illud genealogicum, cujus duo jam exemplaria tibi eſſe ſcribis. Procul dubio jam tibi comparaſti Scriptores Herbipolenſes, ſuperiore anno a Profeſſore LUDEWIG editos, de quo opere ita judicat amicus in literis nuper ad me perſcriptis: „Prodiit nuper „FRISIUS noſter, cum præfatione Do-

„mini Ludovici, qui nimium quantum in „Ducatum noſtrum Franconiæ inſurgit. „Ei ſolidi quid opponi poſſe nondum de-„ſpero, licet ſiluerint hactenus Herbipo-„lenſes, et adhuc ſileant, toties jam in „arenam provocati„. Quod reſtat, ſi manuſcriptorum tuorum Catalogum confectum habes, quæſo, Vir Magnifice, ſi non grave fuerit, eum benevole mecum communices. Non deero, ſi qua in re viciſſim grati quid tibi præſtare mearum virium facultatumque fuerit. Gieſſæ. d. 16. Apr. 1714.

CIV.

CIV.

D. IMMANUELI WEBERO.

Gaudeo, quod animum tuum obfirmaveris, Muſarumque conſortio perfrui, quam contemtu ipſarum parum honeſto Collegarum tuorum benevolentiam captare malis. HENNINGII Theatrum Genealogicum quod attinet, dolendum eſt, opus iſtud adeo tumultuarium eſſe, ut vix integrum reperire liceat. Illud etiam, quod nuper e Belgio accepi, exemplum mutilum, quod ægre fero, eſt. Tomus autem, quem tu poſſides, pars illius eſt non poſtrema, imo rariſſima, adeo ut Wetſtenio decem unciales fuerint oblati, ſi cedere voluiſſet, quod is tamen pro integritate ſua, dum meo nomine emerit, merito renuit. Gaudeo igitur, quod illa tibi quoque obtigerit, et quidem illuſtris Eybenii manu ornata. Eximia igitur tua eſt humanitas, quod illam mihi offeras. Ambabus etiam, ut in proverbio eſt, manibus accipiam illam ad breve temporis ſpatium, cum reliquas hujus operis partes eruditi cujusdam ſtudio illuſtratos me habere ſcias. Si quid in meis ſit, quod tibi inſervire poſſet, viciſſim

ciſſim concedam quam lubentiſſime. Doleo autem, quod Catalogum MStorum meorum dare, imo quando conſcribendi illum opportunitas futura ſit, dicere nequeam. Herbipolenſes ſcriptores ab Halenſi JCto nuper publici juris factos utique poſſideo, amicique tui de iſthac editione judicium non injuſtum pronuncio. Laudandum quidem Viri ſtudium indefeſſum, ejus vero novandi genioque indulgendi nimia procacitas ab omnibus merito notatur. Miror, illum REINHARDI, quem tantis in præfatione excomiis ornat, collectanea non dediſſe integra, ſed bibliopolæ pertinaciæ renuenti ceſſiſſe. Extant illa in bibliotheca mea manu exarata una cum compendio Herbipolenſis hiſtoriæ non ſpernendo. Eſt mihi præterea inſigne quoddam volumen manuſcriptum, Grumbachianam Tragœdiam depingens, inſertis omnibus, ut vocant, actis authenticis. Flagitaverat iſthæc a me illuſtris LEIBNITIUS. Sed cum moroſum Viri genium, et quam difficulter e manibus ejus, quæ ipſi benevole conceduntur, recipi poſſint, probe cognoverim, detrectavi merito. Querebatur Vir cel. cum ipſum Hannoveræ inviſerem, de ſumma in rebus Herbipolenſibus ob penuriam ſcriptorum caligine. Quare LUDEWIG operæ pretium feciſ-

ſe

ſe putandus eſt. Nactus nuperrime ſum belli Smalcaldici et Ulmenſis Civitatis F. Felicis FABRI Hiſtoriam, utramque manu deſcriptam, eximium inſuper de Prætenſionibus, ut loqui amant, Germaniæ Principum Syntagma. Hujus auctorem cel. SPENERUM eſſe aſſerunt, qui Argentorato tranſmiſerunt apographum: de cujus rei veritate aliquid definire nolim. d. V. Maji 1714.

CV.

D. IMMANUEL WEBERUS.

Dabis veniam moræ, quam negotiorum moles, non ſtudii in te mei vel obſervantiæ oblivio injecit. Ita enim Actis, ut vocant, et litibus expediundis divexamur, ut vix nobis ipſis ſufficiamus, nedum ut amicis aliquid tribuere poſſimus. Et ſane ſi res mei arbitrii eſſet, libenter ad ſolas meas Muſas reverterer, cauſidicis laboribus eo abjectis, quo cervi ſolent cornua: ſed ferendum eſt, quod mutari non poteſt, et amicorum, quos

quos ita crebro literis ſalutare non poſſum, ſancte ſaltim colenda memoria. Redit cum hac epiſtola tractatus benevole mecum communicatus de ſtatu Civitatis Ulmenſis, pro quo decentes ago gratias. Utilia multa quidem in ſe continet, ſed quæ fere vulgata ſunt, et quæ de Judæis et monumentis Judaicis p. 217. refert autor, fidem apud me vix inveniunt, quum non ſit credibile, eo tempore Judæos ad Ethnicos populos habitatum conceſſiſſe, vel a Germanis adhuc infidelibus toleratos fuiſſe. Eſt ſub manibus diſſertatio de Püſtero, Idolo veterum Germanorum, quod adhuc in aula Sereniſſ. Principis Schwarzburgici Sondershuſæ adſervatur. Quod ſi vel de hoc Idolo, vel de ſimilibus Germanorum deaſtris et eorum idololatria, quod memoratu dignum ſit, ſuggerere habeas, peto liberali iſtius communicatione me bees. Occupatus quoque ſum in conſcribenda hiſtoria Guntheri Schwarzburgici, quem inter Imperatores ſeu Reges Romanorum referunt, ad quam rem plurima ex Archivis Schwarzburgicis mecum communicata fuerunt. Nullus dubito, quin in Chartophylacio publico veſtro, ubi electus Heros incomparabilis per aliquot menſes egit, et Francofurti vitam finiit, multa ad inſtitutum meum facientia lati-

tent ; quodſi tuo auxilio earum copia mihi aliqua fieri poſſet, rem facies gratiſſimam, et non tantum apud Sereniſſimos Principes Schwarzburgicos , ſed et in ſcripto meo, ubi lucem viderit , ſumme prædicandam. d. 14. Oct. 1714.

CVI.

D. IMMANUELI WEBERO.

Güntheri Schwarzburgici hiſtoriam pleniorem te meditari gaudeo, cum exigua ſint , quæ Ill. Ahasverus FRITSCHIUS de illo commentatus eſt. Simul tamen doleo , quod ex noſtræ Civitatis tabulario quidquam ſuppeditandi nulla mihi facultas , neque ſpes ſit. Licet enim nullus dubitem , quin multa ad rem tuam facientia, cum hic electus ſit , vitamque cum morte commutaverit , in illo premantur, non ſine gravi tamen indignatione conqueror, omnem plane, quod ſæpius expertus ſum, aditum præcludi. Tanta ſcilicet eſt hominum moroſitas , inſcitia atque dementia , ut certiſſimum univerſi Imperii, vel Urbis ad minimum noſtræ

ſtræ interitum metuant, ſi vel leviſſimum non dicam edatur vel concedatur, ſed oculis tantum uſurpandum producatur monumentum. Pro ſumma igitur gratia reputandum fuit, quod armaria atque loculamenta extrinſecus contueri aliquando licuerit. Dum vero nulla hic ſpes eſt, non vana tamen effulget, non injucunda notatuque haud indigna te in meis manu exaratis Codicibus, res tum noſtræ civitatis, tum exterarum complectentibus reperiri poſſe, modo coram excuti a te queant. Nam ſine maximo incommodo, ac ſine gravi etiam periculo transmitti non poſſe ipſe exiſtimabis. Alias de meo egregia tua ſtudia juvandi deſiderio certiſſimus eſſe poteris, cum, quod honeſtos omnes viros decet, nil prius nilque antiquius ſit, quam publicam rei literariæ utilitatem promovere. Quod ſancte ac quidem citra arrogantiam affirmare queo, et, quam diu Spiritus hos regetartus, omnibus comprobare viribus ſatagam. De quo cum nemini, niſi injurius ſit, dubitandi locus erit, multo minus amicos quidquam deſiderare in me patiar. Inter quos te primo ſemper poſui loco, atque ut me non infimo plane collocandum cenſeas flagito.

Pervolutans his diebus animi relaxandi

gratia Conradi CELTIS, inter primos artis poeticæ ac elegantiorum literarum in Germania noſtra reſtauratores ſuo jure referendi, carmina, hæſi in ejus agnomine, PROTUCIUS. Quæ illius ratio ſit, plane ignorans, conſului præter GUNDLINGII Obſervationes ſelectas Henricum PANTALEONEM, Melchiorem ADAMI, Petrum LAMBECIUM aliosque ejus vitam et merita deſcribentes: ſed operam perdidi. Tu ergo, ni grave ſit, eſto mihi Oedipus (d). d. 30. Oct. 1714.

CVII.

(d) Aut nihil de hac quæſtione reſpondit WEBERUS, aut epiſtola ejus intercidit. Quæ igitur mihi hac de re ſtet ſententia, ediſſeram, licet, Oedipum me haud eſſe, probe norim. Scilicet, nomen PROTUCII cum nihil plane vel in Latina, vel Græca lingua ſignificet, nec ullius unquam viri celebris, quod ego quidam ſciam, fuerit, a quo illud adoptaviſſe CELTES videri queat, pridem ſuſpicatus ſum, id a loco forte natali ab ipſo eſſe adſcitum. Nec mea me conjectura feſellit, ſi vera ſint, quæ de illo in Chronographia et Hiſtoria Ger-

CVII.

JO. HENRICUS MAJUS FIL. (e).

GROTII excerpta ex veteribus Comicis laudantur CLERICO in Arte Critica P. I. c. 3. §. 5. edita in 4. 1626. excerpta illa ex Stobæo deſumta dicuntur FABRI-

i 3 CIO

Germanicæ gentis, vernaculo ſermone Francof. A. 1582. in primæ magnitudinis forma publicata, et quidem in prologo (plag. C. 2.) commemorat Theologus tum Heidelbergenſis, poſt Altorfinus, Jacobus SCHOPPERUS: Conradus Celtes *iſt bürtig geweſen aus dem Dorff Protuch bey Schweinfurth gelegen.* Fallitur ergo Henr. Leonh. SCHURZFLEISCHIUS, qui in præfatione Operum Roswithæ p. 42. ob diſſimulatum patriæ nomen *Protucii* cognomentum a CELTE aſſumtum eſſe cenſet, cum prodidiſſe potius hoc agnomine ſuum natale ſolum dici queat.

(e) His literis reſpondit MAJUS epiſtolæ VFFENBACHII, quæ exſtat in Part. II. p. 407. ſq.

CIO Biblioth. Græcæ Lib. IV. P. I. c. 10. p. 349. qui anno 1623. in lucem exiiſſe notat, ut et OLEARIUS in editioni Hiſtoriæ Philoſophicæ Stanleji ſubjecto Autorum veterum indice. In bibliotheca ſunt HERTII noſtri, ſed clauſa; et omnino aliena a Philoſophorum de Fato ſententiis. Hieronymum tibi ad manus eſſe, novi, et quidem elegantiſſimam illam editionem MARTIANÆI, velim itaque, ut ab amanuenſium tuorum aliquo epiſtolam veteris illius eccleſiæ rectoris ſanctiſſimi, ad Magnum, oratorem Romanum, exaratam, deſcribendam cures, verum, quam fieri poteſt, accuratiſſime. Legitur illa in Tomo ſecundo fol. 116. edit. Pariſ. 1534. qua ego utor. Ejus hoc eſt initum: *Sebeſium noſtrum tuis monitis profeciſſe, non tam epiſtola tua, quam ipſius pœnitudine didicimus.* Non eſt prolixa nimium, poteritque cum tempore deſcribi. Quod ſi notæ inſuper additæ ſunt in argentea tua editione, et has peto addi; ſi quidem non fuerint prolixiores. Hoc ego negotium amanuenſi tuo creo; quin et tibi moleſtus ero. Procul enim dubio Hieronymianus codex manuſcriptus tuus epiſtolam quoque iſtam complectitur, quam ſi cum ſcripto tuo componere volueris, rem omnino præſtares longe gratiſſimam, et mihi et publico. Animus enim eſt, hanc eruditiſſimam Hierony-

ronymi epiſtolam ſubnectere Baſilii tractatui nuper indicato (f), qui propediem typis heic exſcribetur. Nollem tamen impedimento hæc ſint ſtudiis tuis; ſatis mature deſcripta ad me venient iſta, ſi ſex intra, aut ſeptem hebdomadas advenerint. Chronicon Francobergenſe jam ante, quam amœniſſima tua pervenerat epiſtola, Eberweinio nomine tuo tradidi. Quid de tua nunc dicam, vir amiciſſime, felicitate? Nactus iterum es quatuordecim codices manuſcriptos elegantes, raros, pretioſos, nil ſupra. Vix mihi per totam vitam tot undiquaque compilare licuit; tibi obvenerunt una die. Albæ es gallinæ, ipſiusque Fortunæ optimæ filius.

(f) Edidit hoc ipſo anno 1714. Gieſſæ MAJUS Baſilii Magni orationem de legendis Græcorum libris cum variorum notis, eique Hieronymi illam ad Magnum oratorem epiſtolam adjunxit, additis variis lectionibus, e Codice Vffenbachiano hauſtis. Eandem Hieronymi epiſtolam novo ſtudio emendatiorem cum notis philologicis et variantibus lectionibus ex priſcis pariter editionibus ac Codicibus manu exaratis exhibuit in Tom. II. Pœcil. p. 339. ſqq. et 540. ſqq. amiciſſimus HEUMANNUS meus.

lius. Et ego precor, ut tales tibi ſæpius eveniant dies. Num Macarii homiliæ plures in tuo codice compareant, quam in editis? ſcire percupio. Turcica quis tibi enodabit? Mihi illa ſunt vere Turcica, uti Accurſio Græca. Forte ENEMANNUS (g) noſter Oedipum agere poſſet, ſi adhuc præſto eſſet; quamvis non ita eum in hac lingua verſatum invenerim, ut librorum quorumcunque contenta indicare valuerit. Schediaſma meum heic habes, et quidem exemplum omnino ultimum; neque enim ipſe jam ullum adhuc poſſideo. Quod vero de Meiſnerianis quæris epiſtolis, ſic rem habeto. Nec urgeo inſtitutum, neque a veteri promiſſo alienus prorſus exiſto. XII. ante Kal. Jun. 1714.

CVIII.

(g) conf. Part. II. p. 379.

CVIII.

JO. HENRICO MAJO FIL.

En tibi, amice dilectiſſime, quam deſideraveras, S. Hieronymi ad Magnum Oratorem Romanum Epiſtolam, fideliſſime per amanuenſem deſcriptam, et a me ipſo quam diligentiſſime collatam, ut, quod ſancte affirmare queo, ne jota quidem deſit. Adjeci quoque lectiones ex Codice meo manuſcripto. Quæ an tanti ſint, ut adjicere velis, ipſe diſpicies. Multo certe leviores celeb. MARTIANÆVS pretioſiſſimæ editioni ſuæ adſcribere non dubitavit. Eſt mihi quoque opus Epiſtolarum Divi Hieronymi, una cum Scholiis Deſid. ERASMI apud inclytam Baſileam ex accuratiſſima officina Frobeniana MDXXIV. publici juris factum, ubi pag. 333. Scholia ERASMI huic Epiſtolæ ſubnectuntur, quæ lubentiſſime in uſus tuos deſcribi faciam. Feciſſem id jam dum, niſi ad manus tibi etiam iſthanc editionem eſſe crediderim. Num in codice, de quo nuper perſcripſi, plures, quam in vulgatis ſint Macarii Homiliæ, definire non auſim, nec an omnes, quæ in hoc volumine contínen-

nentur, ejusdem ſint, cum paucis admodum autoris nomen ſuperſcriptum ſit. Si tibi vacaverit, aut volupe fuerit, iſtud aliquando ſtudioſius rimari, ad nutum concedam. Accepi ante aliquot dies e Belgio, una cum aliis libris, quatuor folia Græca manu exarata in membranis; Expoſitionem capitum Actorum et Epiſtolarum Apoſtolicarum complectuntur, initio et fine, quod dolendum, carentia. Transmittam tibi, amice dulciſſime, iſthæc, una cum optimo Parente tuo, ſi ſalvus, quod animitus precor, redux factus fuerit, perluſtranda. Pro oblato Schediaſmate tuo, eo majores tibi gratias habeo, quod ultimum exemplum ſit, quo te mei cauſa privare volueris. Non poſſum vero non, quin urgeam, ut in inſtituto perſiſtas, nec video, quid obſtet, quo minus iſtis cimeliis rem litterariam, rumpantur ut ilia Codris, augeas. Poſſem tibi ex meis Epiſtolis anecdotis quasdam ſuppeditare, ſi quidem purpuræ tuæ laciniam aſſuere velles, annectendas. Hiſce diebus aliquas iterum nactus fui Megalandri Lutheri, Melanchthonis, Oſiandri, Kircheri &c. quibus meam farraginem inſigniter ornavi. d. 26. Maj. 1714.

CIX.

CIX.

JO. HENRICUS MAJUS FIL.

Citius deſiderio meo ſatisfeciſti, quam aut petieram, aut fieri poſſe exiſtimaveram, aut factum iri ſperaveram. Quod uti ſummi erga me amoris tui, Amice unice dilectiſſime, indicium præbet, ita novo me gratitudinis vinculo tibi devincit. Ea ſane fide ac integritate, et ſtudio et alacritate perfeciſti, quod rogaveram, ut dexteritatem potius tuam, an promtum inſerviendi animum admirari debeam, dubius hæream. Sed quoque modo ſe illud habeat, ſatis eſt, a tua, Amice, diligentia proveniſſe, quod non me ſolum delectet, ſed et publico prodeſſe mox debeat. Nondum enim Baſilium imprimendi factum eſt initium, eo quod Hockerum indies exſpectem, qui colloqui mecum ante impreſſionem geſtit. Huic meo qualicunque opuſculo (ſcis enim a me nonniſi parva proficiſci) Hieronymianam epiſtolam adnectam cum manuſcripto tuo codice (cujus velim ætatem, quam ei adſignas, ſignifices mihi) collatam, addamque varias lectiones ad unam omnes. O quam ego beatus, qui

qui tanti favore amici impetravi , quæ nullus ſubminiſtrare alius potuiſſet ! Tibi itaque ſoli et gratias ago , quas poſſum , maximas, et in oculis te feram ſermonibusque , quod adhuc feci, omnibus. Duo me vexant dubia, quorum ſolutionem ut præſtes, mi VFFENBACHI , enixe rogo. Primum eſt , priorine an poſteriori parti Tomi IV. (eum enim in duas tributum partes lego) editionis tuæ legatur hæc epiſtola ? alterum, ſintne illæ notæ omnes in editione Pariſienſi a Martianæo additæ, quas tuus, Amice ſuaviſſime, amanuenſis, ſingulis ſubjecit paginis ? poſterius fere arbitror ; ad prius quod attinet , conjecerim , hanc epiſtolam in Tomi IV. parte ſecunda legi. Scholia ERASMI in dictam epiſtolam leguntur quoque in mea editione. Manuſcriptos Codices Græcos tibi gratulor ; eosdemque data occaſione lubens evolvam ; nunc enim ita variis impeditus ſum negotiis , ut nullum tempus excutiendis manuſcriptis tuis Ebraicis impendere valeam. Dum enim valetudinis ratio habenda , et , ex Medici ſupremo mandato , equitandum indies , dum labores nonniſi neceſſarii expediendi , dulciſſima privor vitæ meæ parte, cogorque differre, quod libentiſſime e veſtigio abſolverem. Pater meus in reditu tuam viſitare bibliothecam, tuoque frui colloquio deſide-

ſiderans, ſpe ſua utrobique excidit; Moguntiam te abiviſſe ad pompas videndas Pontificias edoctus. Kal. Jun. 1714.

CX.

JO. HENRICO MAJO FIL.

Jam non ad Pontificias pompas videndas Moguntiam, ſed ultra Garamantes abiviſſe me credes, quod tanto temporis intervallo nil litterarum ad te, Amicorum optime, dedi. Ridebis autem atque ſimul gaudebis, ſi cauſam itineris, quantumve lucri ex illo reportaverim, cognoveris. De illo jam dudum cogitaveram, cum commodam illud peragendi occaſionem darent muliebria, ut vocari ſolent, comitia, quæ uxor mea habuit maxima, quibus intereſſe viris nec permiſſum, nec volupe eſt. Facile quid velim olfacies, lotionem nimirum, cujus ſola cogitatio nauſeam creat, et fugam meditari facit. Exceſſi igitur, evaſi, erupi; atque ne inutiliter tempus tererem, litterarium excurſum inſtitui, nec infeliciter ceſſit. Quum enim Moguntiæ

tiæ Monaſteriorum Bibliothecas perreptarem, in una illarum ingentem manuſcriptorum Codicum apparatum latere intellexi, et licet aditus ad illum perluſtrandum præcluderetur, Catalogus tamen concedebatur non ſolum, ſed et aſportandi mecum licentia dabatur. Mirabar hominum alias moroſorum ſatis ac invidorum humanitatem ac liberalitatem, illorumque, qui de meliori me nota commendaverant litteris ſuis, inſigne exoſculabar officium. Lætabundus igitur domum redii, nec diu dubitavi, ſed ad ſpiſſum volumen propria manu deſcribendum illico me accinxi, eo majori alacritate, quod quosvis codices potiundi ſpes data fuerit. Non deſtiti igitur, uſque dum integrum opus abſolverim. Et licet multas mihi quisquilias, incultaque ſcholaſticorum, ut ſalutantur, opera deprehenderim, eximium tamen veterum auctorum, ac SS. Patrum præſtantiſſimorum Codicum numerum inveni. Nec me igitur pœnitet operæ, nec tu, Amice dulciſſime, moram, quod tanto ſcilicet temporis ſpatio te, quod par erat, compellare nequiverim, ægre feres. Eo minus, quod plurima, quæ ad rem tuam faciunt, ſuppeditare tibi potero. De quo ne dubites, non ſine gaudio tibi nuncio, duos me reperiſſe codices, qui te apprime juvabunt. Unus Baſilii Orationem,

nem, quam præ manibus habes, alter vitam ſanctiſſimi hujus antiſtitis complectitur. Quos dum animadverterem, oculus dexter fallebat mihi; dolebam tamen, quod in Catalogo nulla mentio fieret, an Græco ſermone illa, et a quo hæc ſcripta ſit. Ne igitur et tibi expectationem concitarem irritam, nec meo tibi inſerviendi ſtudio, vel potius ardori moram necterem, illorum copiam ante omnes præprimis petii, promiſſumque mihi eſt, quam primum acceſſus ad Bibliothecam, ob novum, quod exſtruitur, opus patefactus iterum fuerit, me illos nacturum, e veſtigio tibi transmittendos. Nunc ad poſtremas tuas me accingo, ubi primum dubia tua de apographo Hieronymianæ Epiſtolæ nuper tradito offendo. Sed hæc felici conjectura ipſe jam ſolviſti. Reperitur enim illa in poſteriori Tomi IV. parte, adjectæque notæ omnes Editoris omnino ſunt; ſi illas, quas ego ipſe ex Codice meo in ſeparata ſchedula notavi, excipias. Aetatem vero hujus mei Codicis definire vix auſim, duodecimum tamen ſeculum attingere credibile videtur. d. 23. Jun. 1714.

CXI.

CXI.

JO. HENRICUS MAJUS F.

Neque te mei oblitum, neque ad ultimam te migraviſſe Thulen, ſed aut ad Visbadienſium thermas, aut Svalbacenſium acidulas te recepiſſe opinabar, valetudinis recuperandæ gratia. Jam vero Moguntiam te ſeceſſiſſe, ex cauſa prorſus joculari, ibidemque in monachorum clauſtris, et veterum librorum catenulis adfixum hæſiſſe, intellexi. Non improbare poſſum propoſitum tuum relinquendi fumum et ſqualorem, et muliercularum gerras, ipſis Siculis vaniores, inprimis quum et ſanitati conduxiſſe exiſtimem, et non pœnitendum excurſionis tuæ percepiſſe fructum ipſus indicaveris. Habes igitur, de quo tibi, Amicorum dulciſſime, gratuler; ſed et reperiſti, de quo mihi gratuleris. Et vero majorem in modum tibi me obſtrictum profiteor, quod ultro de meis ſtudiis in peregrino loco cogitare, et quæ profutura olim ſint, ſalubriter proſpicere volueris. Tantum itaque abeſt, ut ſcribendi moram, quantumvis nonnihil moleſtam mihi, qui indies tecum colloqui geſtio,

geſtio, ægre feram, ut potius, utrique noſtrum, ac tibi potiſſimum iter ex voto fluxiſſe, gaudeam. Quodſi Baſiliana oratio, ſed Græca (nam Latinam verſionem, niſi aut antiquiſſimam, aut præſtantiſſimam, non deſidero) tibi contigerit, mitte, quæſo, illam quam primum fieri poterit ad me; proxima enim hebdomade initium fiet typis illam exſcribendi. Sin jam ad te delatus eſt ille codex, ut matri meæ, quæ nunc apud vos vivit, poſtridie autem ad nos ventura eſt, illum perferendum committas, enixe rogo. Ultra tres, quatuor, dies, mecum non retinebo; immo vel ante illud tempus collationem abſolvam. Ab ENEMANNO meo non ita pridem accepi litteras Amſtelodamo exaratas; is multis laudavit humanitatem tuam, mihique gratias egit, qui tam elegantis viri acceſſum procuraverim. Qua quidem in re vehementer errat; niſi forte te Deum aliquem putat, et me ex divorum numero quendam. Nunciavit inter alia, RELANDI Palæſtinam, ſeptem alphabetis conſtantem, jamjam in lucem prodituram, deficiente tantum generali adhuc tabula, æri incidenda: DIPPELIUM ſedes ſuas mutaviſſe, ac prope Trajectum nunc morari: Catalogum manuſcriptorum bibliothecæ Leidenſis ab HEUMANNO adornari; quem diverſum

plane oportet eſſe ab eo, qui jam editus eſt. Et cauſa forte eſt acceſſio illa magna librorum, quam indies fere ſentit bibliotheca iſta. III. Kal. Jul. 1714.

CXII.

JO. HENRICO MAJO F.

Male me utique habet, quod in tempore ſatisfacere tibi nequeam, cum codices nuper promiſſi, dejectis ac nondum reædificatis ſcalis, haberi nondum poſſint. Nolim vero id operi tuo moram faciat; nam in appendice adjicere integrum erit, quæ ex illis haurire poteris. ENEMANNUM bene valere, meique non immemorem vivere gaudeo. Pergrata etiam ſunt, quæ ex ejus litteris narraſti. RELANDUS enim, cum ante tres annos illum compellarem, maximum perluſtrandæ ejus Palæſtinæ deſiderium concitavit, dum, quæ in nova hac ſua deſcriptione præſtiturus ſit, pluribus exponeret. Nullum ſane dubium eſt; quin pro ſua in his profundiſſima cognitione multos errores illorum correcturus ſit, qui rerum ac linguarum

guarum orientalium ignari has oras vel ipſi perluſtrarunt, et a cœcis ductoribus, Monachis ſcilicet, qui lucri cauſa advenas circumducunt, imponi ſibi paſſi ſunt, vel ex horum parum fidis relationibus depromſerunt ſua. Plerique religionis prætextu hoc iter ingreſſi, quibus ſatis fuit, ſi ficta loca ſacra ſuperſtitioſe venerati, ac ſanctis, quas putant, reliquiis, vel potius quisquiliis, onuſti redierint, de accuratiori Terræ inveſtigatione parum ſolliciti. Accepi nuper vaſtiſſimum Felicis FABRI opus manuſcriptum, quod Evagatorium (h), ſeu Terræ Sanctæ Itinerarium nuncupavit, quod licet multis nugis refertiſſimum ſit, quædam tamen non contemnenda complectitur, nec ubivis obvia; ideoque ejus uſum Celeberrimo RELANDO optaſſem. HEUMANNUM perficiendi Bibliothecæ Lugduno-Batavæ Catalogum onus ſuſcepiſſe lætor. Jam dudum ei inſudaverat SENGUERDUS, huic tamen labori perferendo ob ſenectam impar, nec etiam, niſi GRONOVIUS in enodandis codicibus adſtitiſſet, ad bene e-

(h) Ipſius Felicis FABRI verbis Evagatorii, quod vocat, ſeu Terræ Sanctæ Itinerarii, contenta enarravi Amœnitat. liter. Part. III. p. 51. ſqq.

laborandum idoneus. Illum vero multo ante editis locupletiorem proditurum, certo affirmare poſſum , qui ejus partem , libros ſcilicet formis expreſſos complectentem, jam typis, cum in iſthac Academia degerem, exſcriptam inſpexi. Tantum ad poſtremas tuas. Novi jam nil habeo, quod viciſſim perſcribam. Ne vero plane inanes tibi mittam, ac, quod lubentiſſime ac enixe ſemper facio, novum tibi oblectamentum parem, opportune occurrunt Rudimenta priſcæ Hunnorum linguæ brevibus quæſtionibus ac reſponſionibus comprehenſa, opera et ſtudio Joannis THELEGEDI, eaque manu exarata. Hæc quam primum occaſio ſe offeret , perluſtranda tibi, Amice dilectiſſime , dabo. Miri ſane ſunt characteres, mihique æque ac illi, quibus incantatores ſua myſteria obvolvunt, incogniti. Siculorum etiam litteræ ſalutantur , de quibus ne fando accepi unquam. Adduntur in fine Oratio Dominica, ac Symbolum Apoſtolicum eadem lingua deſcripta. Prodiit in Anglia atque Belgio dicta primo loco oratio plus centum linguis expreſſa. In hac tamen apparere ibi vix credo. Sed et aliud adjicio. Non ita pridem venum mihi bibliopola Auguſtanus Bencardus obtulit primam, eamque rariſſimam occultæ Henrici Cornelii AGRIPPÆ philoſophiæ editionem,

tionem, proque ea mille florenos poſcere haud erubuit: illam vero paulo poſt aureo nummo, quem *ducatum* vocant, perſoluto aliunde nanciſci licuit. Utinam pari etiam fortuna potiri poſſem prima editione inve-ctivæ ejusdem declamationis de incerti-tudine et vanitate ſcientiarum, lectu ſane haud indignæ, quæ hoc nomine mihi fo-ret acceptiſſima, quod recentiores editio-nes eſſe mutilatas e CRENII Animad-verſionibus philol. didicerim. Conſtanti-ni mei opuſcula jam procul dubio a WE-BERO accepiſti, illa jamdudum poſſedi, et forte fortuna iterum in manus incide-runt, quæ tuis perpetuis uſibus eo liben-tius dicavi, quod familiarem ejus ſtylum reddere tibi poſſis, ut ſi aliquando magnum illius opus, Codicem nimirum manuſcri-ptum, mecum aggredi voles, eo facilius procedat. Unum adhuc ſupereſt, ut tibi ſignificem, me futura ſeptimana, quod nu-per conjeceras, facturum, ſcilicet ad Sual-bacenſium acidulas profecturum. Ubi,cum aquoſi, a Marte graves, ac debilitati ſpi-ritus hominibus eſſe ſoleant, nec de re-bus ſeriis cogitare permiſſum, non ægre feres, ſi a ſcribendi officio ceſſavero. Tu vero, Amicorum optume, ſi quas imme-renti dare ſubinde velles litteras, efficere poſſes, ut ſalubriores aquæ mihi ſint. Nam omnium medicorum ſententia, atque uſu

peritorum, aquarum uſus obeſt potius, quam prodeſt ſanitati, niſi animus a curis atque negotiis vacuus varia recreatione reficiatur. Quæ vero recreatio mihi eſſe poteſt, quæ tui alloquii voluptatem ſuperet? Age igitur, ſine me indulgere valetudini, tu vero, Amicorum dilectiſſime, nihilominus diligentiam confer, ac incolumitati meæ conſule. Quam ſi, Deo juvante, corroboratam ac firmam conſecutus ero, eo alacriorem me ac diligentiorem in obeundis officiis habebis. Tu interim cura etiam, ut pancratice quoque valeas. d. 3. Julij 1714.

OBSER-

OBSERVATIO
de
Petro Saulo FAVSTINO Tradocio Henrici Cornelii AGRIPPÆ præcurſore.

Diſſerui olim de libro AGRIPPÆ de Incertitudine et vanitate ſcientiarum et artium, cujus in ſuperioribus literis meus meminit VFFENBACHIUS, in Amœnitatibus literariis (i), eumque malitioſe mutilatum integritati ſuæ reſtitui. Omnium optime de illo opere ſatyrico judicavit Vir πολυμαθέςατος mihique amiciſſimus, Jacobus BRUCKERUS in Hiſtoria Philoſophiæ Critica (k). Nunc annotare juvat, haud primum fuiſſe AGRIPPAM, qui iſthac ratione ludens in ſcientiarum abuſum et barbaros ſui ſæculi mores declamitaverit, verum habuiſſe eum anteambulonem virum non indoctum, ſed hodie plane incognitum, PetrumSaulum FAUSTINUM Tradocium (l), qui ligato ſer-
k 4 mone

(i) Tom. II. p. 513. ſqq.
(k) Tom. IV. Part. I. p. 419. ſqq.
(l) Hoc patriæ ejus fuit nomen, quod ipſe indicat in Silva de honeſto appetitu.

mone fecit, quod ille ſoluto. Fuit is Clericus Ariminenſis, ſcripſitque præter Silvam de honeſto appetitu tres libros de Triumpho Stultitiæ. In titulo horum poematum in forma octuplici editorum, memoratur, ea Arimini typis Hieronymi Soncini iterum omni diligentia excuſſa eſſe; in calce autem, impreſſa eſſe Venetiis per Jo. Franciſcum et Jo. Antonium de Ruſconibus fratres A. MCCCCCXXIV. die VII. Dec. Sub finem habetur ſequens ejus Epitaphium, quod auctorem agnoſcit Franciſcum Rufum de Montejani:

Fauſtinum genuit Latii Terdocia (m) *tellus;*
Corpore qui gracili fuit, at virtutibus ingens.
Per totum didicit Latium, contentus in urbe
Vixit Ariminea, vivis deceſſit ibidem.
Sarcophago hoc ſua membra jacent: ſed ſpiritus, unde
Venerat, æthereas ſubito remeavit ad oras.

In Triumpho ſtultitiæ prælufit Fauſtinus Agrippæ, quod ex ipſis carminum lemmatibus quodammodo apparet, quæ jam dabimus.

Mortalium

(m) Fauſtinus nunc ſe Tradocium, nunc Terdocium nominat.

Mortalium vana opera. Populi et nationes fabula. Urbes tandem cineres et fabula. Roma quoque facta fabula. Quod fama quamvis longa nihil confert. Humana vita tota labor et afflictio. Pueritia vano labori expoſita. Vana juventæ ſtudia. Canes et equos alere, ſtultitia. Nil inſtabilius amatore. Stultiſſimum ducendi chori oblectamentum. Muſices ſtudium inane. Cupientes longum famulitium. De inſano conjugii deſiderio. Pretioſæ veſtes, vitiorum theca. Propriæ credens formæ ſui deceptor. Aulici quam ſint fatui. Reges et præſides mera inſania et labor. Militia labor ſterilis. Philoſophi fabula. Dialectice garritus vanus. Grammaticus labor jejunus et inanis. Rhetorice verboſa garrulitas. Poetica tota fabula. Medicina labor inexhauſtus. Juris conſulti et pragmatici. Geometra delirus. Aſtronomia mera inſania. Alchimia quam vana ſit et ridenda. Artis magicæ vanitas et inſania. Pulpitarii concionatores, qui, ſacro relicto eloquio, ad phyſicas ſe conferunt quæſtiones, fabula. Divitiæ ſollicitudo, labor et diſcrimen. Vanum ædificandi ſtudium. Vana ſacerdotum vota. Fratres clauſtrales quam vanis agitantur ſtudiis. Quam vanum deſiderium, honores ſacros cupere. Omnia in genere fabula. Senectutis deliria.

 Jam

Jam exhibebimus quædam inde ſpecimina, cum liber ſit longe rariſſimus. In Dialecticen, quam garritum vanum nuncupat, ita declamat FAUSTINUS.

Inſidioſa vocat ſi te Dialectica, ſi te
Argumenta juvant, mendaci tecta colore,
Circumagat quemvis ars ficta, et blanda ligatrix.
Eludant ſtupidos tua docta ſophiſmata ſenſus,
Subdola vafrities verborum ſtructa paratu
Implicet attonitas mentes, et pectora cæcis
Involvat latebris, aciemque et lumina ſtringat.
Anfractu dubio pellax, verſutaque lingua
Nunc mera ſub veri facie mendacia pingat,
Demonſtret rurſus falſi ſub imagine verum.
Has dum, vel ſimiles moliris ſæpe Chimæras,
Dum quæris quid ſit ſubjectum, copula, verbum,
Quid genus, et forma eſt, ſpecies, diſtantia, quidve
Accidat, aut proprium eſt, totum, diſcretio, partes.

Ac-

Aequivocum, univocum, ſubſtantia, terminus, et vox.
Quis locus, aut ſitus eſt, habitus, quid paſſio, quidnam
Actio, quidque prior, poſtrema, illatio, ſumptum,
Sæpe neganda minor, majorem ſæpe refellis,
Aſſeris en iterum, quod tu paulo ante negaras.
Et quia ſæpe cadit, Logicen neſcire latine,
Ipſa Solœciſmos, ſub Barbara, ſubque Barocho,
Sive Baralipton, Fapeſmo, Friſeſomorum,
Congerit, o nimium pedicoſa, o rancida verba.
Garritu at poſtquam longo altercantia tela
Concurrere ſimul temere, inconcluſa, furensque
Utraque pars remanet, vulgi contenta ruentis
Plauſibus, o ſuperi, quam cæca inſania mentes
Concitat humanas, et neſcia vivere corda.
Tu gerras tandem populo mirante loquutus
Gerræ eris, et pariter fiet Dialectica nugæ.

Pul-

Pulpitarios concionatores hiſce poeta noſter coloribus depingit:

Nunc ad te propero, qui ſancta arcana Deorum
Cœleſteſque aditus quæris, mentiſque ſupernæ
Inter nos ſenſus, ſophiæ quos charta beatæ
Explicat, et cui ſunt divina volumina cordi,
Ut populum doceas, clarum diſcernere ſolem
Rebus ab umbratis, diſtet quid devius error
A vero, et vitiis virtus, a crimine merces,
Utile quod ſit iter, quo limite tendat ad aſtra.
In templo quoties vis ſemina ſpargere ſacra,
Vel tuba, vel præco, ſive illa ſonora metalli
Concava materies, anima eſt cui ferrea pendens,
Excelſa ab turri longo detracta capiſtro,
Invitat gentes ſonitu, dehinc pulpita ſcandis.
Sed quum ſancta fides, doctrina, et dogmata Chriſti,
Et ſcripta in tabulis, quæ continet enthea Moſis

Pagina,

Pagina, et hi monitus, quos claudit E-
piſtola Pauli,
Et quæ ſancta cohors cœleſti afflata ca-
lore
Scripſit ad abſtruſas penetrantia verba
medullas,
Debeat eſſe tuus ſermo, et tenearis
obire
Hoc ſolum munus, penitusque huc
tendere greſſum,
Stare et in hoc totus, poſſis quibus
artibus, et vi
Inflammare hominum affectus, huma-
naque vota,
Hoc unum ut ſtudeant, ſuperas con-
tendere ad arces,
Præmiaque æternæ patriæ præferre ca-
ducis,
Virtutem amplecti egregiam, vitium-
que fugare,
Perpetuamque horrere necem, pœnas-
que malorum,
Gaudiaque et requiem regni ſperare
ſuperni.
Talibus omiſſis, ut nil facientibus ad
rem,
Niteris hoc uno, totusque huc tendis,
et inſtas,
Texere materias grandes, ſecretaque
cæli
Arte aperire nova, populoque placere
ſedenti.

An

An ne ſit æternus mundus, vel factus,
et a quo,
Incipit an ſemper, vel ſemper deſinit eſſe.
An ſint cuncta ſimul, certo vel tempore creta.
Materia, an forma eſt, dederit quæ
exordia rebus.
Impius at ſi quis neget hoc, an forſan
oportet,
Eſſe Deum monſtrare, an hæc notiſſima ſit res,
An poſſit non eſſe Deus? vel deſinere
eſſe.
An ſit et hic ſolus rerum dominus, Pater, et Rex.
An monas in Triade eſt? an ſit ſubſtantia ſimplex.
Simplicitas qualis, quæ forma, et quæ
ſit imago,
Nomina cur tria ſint, et ſit tamen una
poteſtas,
Unus honos, unumque decus, par
gloria, virtus.
Quid ſtruat, aut quid agat, ſpernat ne
an cuncta gubernet.
Deſerat an potius cauſis ſervata ſecundis.
Caſibus anne novis ſubito, an providerit ante.
An mala permittat, ſummum quando
ipſe Bonum ſit.

An

An cælum, et tellus, animataque ſydera vivant.
Una ne corporibus cunctis, an plurima ſit mens.
Quantaque forma animæ, quænam proportio, quæ vis.
Sphærica, an harmonica eſt, numeruſve, an ſanguis, et aer.
Qualis et exiſtat, mortaleis ante cavernas
Quam ſubeat, vel qua ſubeat, qua parte recedat.
Si ſit cœleſtis, cur ſæpe angore prematur,
Si melior poſt fata ſtatus, cur ipſa relinquat
Invita hos artus, portum ſubitura beatum.
Aeterna an ne fiet, mundique ab origine creta,
An ne novas ſator uſque creat, quas fundat ad ima,
Atque in membra pluat, quas mox hac fece relicta
Evocet ad ſuperos, an ſub nova corpora condat.
Nunc de virgineo conceptu plurima fingis,
Quæ nec ſcire datur, nec ſunt recitanda theatris.
Diſſeris, aut quid ſit numen, quod ſæpe per aras
Obtulit admirans per myſtica verba ſacerdos.
Qua ratione luant, et qua pia vota ſequantur,

Quos

Quos Deus a ſe abigit , vel quos prædeſtinat ad ſe.
Quod multo ante videt, vel ſit mutabile , vel non.
Nos fore damnandos ſi præſciet , unde trahamur ,
Hoc perferre malum , ſi libera noſtra voluntas.
Hæc , et plura ſimul dum tu tám grandia tractas ,
Confugis ad varios teſtes , queis credere quicquam
Non licet. Adducis ſectas, enormia monſtra
In canones ſacros, divinaque jura, ſerentes.
Dumque in Ariſtotelem , Averroim, Scoton, inque Platonem
Fundamenta jacis , vel dum tua ſomnia narras,
Incautas hominum mentes , ignaraque corda
Multiplici dubio , variisque ambagibus imples.
Denique quo indocili turbæ videare ſapiſſe ,
Rhetoras, Hiſtorias , et picta poemata, leges ,
Quicquid et aſtrologi fingunt, recitabis ad unguem.
Et modo dulce canis , nunc fles , nunc ordine verſo
Fabellam texis, quæ riſus excitet, inde
Invehis in vitium. Sudas, et voce ſonora
Acriter

Acriter exclamas, et verba minantia fundis,
Quod niſi ſint monitus, paucorum vota, precesque
Et mundum, et ſuperos, tuituraque ſidera paſſim,
Ceu ſuper ipſe humeros excelſa cacumina cæli
Suſtineas, ut Atlas, ne moles decidat ipſa.
Tam bene et Elyſios pingis, ſtygiasque cavernas,
Nigrantes Erebi tegetes, pœnasque nocentum,
Verſatus tanquam fueris cum gente prophana
Tartarea ſub nocte diu, vel forſitan illic
Conductas teneas ſedes, et manibus ipſis
Eſt data certa fides, illuc te velle reverti.
Hæc tu dum rudibus tam mira, ſtupendaque jactas,
Te aſſerit eſſe deum vulgus, miratur, adorat.
Hinc tibi ſi artocreas poterit, vel mittere turdos,
Chortis aves, leporem, genialis munera cœnæ,
Oſcula vel pedibus, manibuſve infigere ſanctis,
Tangere vel ſaltem tunicam, putat eſſe beatum.
Tunc tibi bellus homo es, nimium tunc, credule, geſtis.

Inde tibi ſurgunt obſtippo in vertice criſtæ.
Sedeque ſublimi poſitus, fortaſſe videris
Cœleſtes penetraſſe globos, tumidumque ſupremo
Inſertare caput cœlo, populumque jacentem
Reptare ut pecudes per humum. Dehinc pectore ficto
Deflere efflictim ſimulas, graviterque dolere
Illorum inſcitiam grandem, veſanaque corda.
Non tamen interea ſuaſu tua lingua potenti
Fructum aliquem pariet, tanto exagitata labore.
Sed tu, qui populo mera nugamenta dediſti,
Colligis et nugas, vanoque e ſemine jacto
In campos ſteriles naſcetur Fabula vana.

Vana ſacerdotum vota ipſe ſacerdos ita perſtringit:

Conſulto intactos quoſdam mea plectra relinquunt,
Horum ego quum pars ſim, numeroque aſcriptus eodem,
Ulcera ne tangam poſthac dolitura quibusque.
Me tamen invitum ſtimulat, licet ipſe negarim,
Sancta ſacerdotum ſynodus, reverenda, pudica,

Ut

Ut referam, de ſe jactent quid murmura vulgi:
Parcere promittens, culpamque remittere ſcriptis.
Pace tua, ſacrata cohors, hæc paucula (poſtquam
Sic vis, et mandas) quanquam ſint diſſona ſacris
Ordinibus, calamo flebit mea lingua gementi.
Vos quia ſal terræ, ac aliis exempla daturi,
Hoc queror, hoc doleo, quod pars bona nulla penes vos
Nullaque virtutis facies, veſtigia nulla
Moribus apparent veſtris probitatis honeſtæ.
Ni ſanctum officium, ſi quis tamen illud ad unguem,
Saltem aut perplexe, aut mutilo ſub murmure dicat.
(Hos tamen excipio, Veneris quos improba flamma
Non coquit illicitæ, ſed caſta, ac integra vita,
Sanctaque relligio vere facit eſſe beatos.)
Quale ego vidi odium inter vos? qualesve ſagittas?
Invidiæ ſtimulos? et tela latentia condi?
Non ferro rem agitis, ſed ſubdola machina linguæ,

Tanquam aries , famam ficti ſubvertit amici.
Finguntur vultus hilares, mellitaque verba,
Abſtruſa at latitant cæcis mera toxica fibris.
Nunc grandem incuſat minimus, minimum modo grandis.
Ille dolet decimas, quod parcius exigat, et quod
Tam male reſpondent poſiti ſub fœnore numi,
Quodque parum reddant ſegetes, et ſemina jacta.
Hunc premit ambitio ductum popularibus auris,
Hunc amor infrenus, rerum hunc lymphata cupido,
Hunc damnoſa gulæ nunquam ſatiata vorago.
Puſio, vel ſcorta hunc, hunc teſſera deſtruit anceps.
Hic decus, et famam, viridem cupit ille galerum.
Cardineo hic ambit numerari ex ordine primus,
Hic diadema triplex votis intentus anhelat.
Non animas populi curant, nec templa deorum,
Sed quid reddat ager, ſola hæc, atque unica cura eſt.
Sic miſeri aſſiduis mentem cruciatibus ægram,
Obruta-

Obrutaque innumeris ſemperque agitata procellis
Corda vehunt, fluctu vario impellente quietem.
Atque ita quanto animo cupidi majora volutant,
Tanto majores ſtulti, ſunt Fabula major.

Fratres clauſtrales quam vanis agitentur ſtudiis, hoc carmine exponit:

Inde cucullati fratres, devota Deis gens,
Egreſſi clauſtris, facie, vultuque verendo,
Confeſſis manibus poſcunt, ac voce remiſſa,
Illos ne ſileam penitus, tacitosque relinquam.
Annuere his volui, ſic me cogentibus ipſis:
His tantum exceptis alti queis numina cæli
Divinum inſpirant ignem, et qui ducere vitam
Cœleſtem in terris, mortalia dona peroſi
Nituntur, prorſus vitiorum nube remota.
Charta loquax igitur diverſos nacta colores,
Quos penes eſſe nihil, niſi fœdum, et turpe videtur,
Hos pinget quanto poterit moderantius eſſe

Nil mage diſſimile affirmans , incertius et nil,
Nilque magis varium, nihil et difformius illis.
Utitur ille nigris, aſt albis veſtibus alter.
Hic leucophæis , hic pallia Bethyca portat.
Hi pedibus nudi incedunt, gerit ille cothurnos.
Fert crepidas alius, ſoleas vehit ille ſalignas.
Carnibus hic parcit, ſaliares devorat alter
Regaleſque dapes, liquidas hic ebibit undas,
Gnoſiacis alter vinum de vitibus haurit.
Hi tenui victu cruciant , aliique ſaginant
Corpus , et omnigenis conſtipant piſcibus alvum.
Socratis hic ſequitur mores, agit hic Epicurum,
Mordentem hic Cynicum , mutos hic Pythagoreos.
Hæreſis hunc dubium damnat , ſapit iſte Maranos.
Hic Maumethiſtas , recutita hic ſabbata ſervat.
Hic negat eſſe Deos , numen negat ille triforme.
Verum,o!proh ſuperi, ſiquis ſua clauſtra ſubiret,
Quas ibi non cernat curas, portenta, doloſque?

Quæ

Quæ mala ? quos morbos animi ? quæ crimina ſæva ?
Seditio, inſidiæ, bellumque, et cæca ſimultas
Sic male diſtorquent miſeros, ut mente ſoluta
In ſcelus omne putes juraſſe, et fœdere rupto
Conſpiraſſe ſimul leges temerare Deorum.
Livor at impenſe hunc mordet, quod doctior alter,
Quod Prior, aut Abbas, quod Cuſtos, quodve Miniſter,
In genere, et ſpecie, quod præſidet omnibus unus.
Rumpitur hic rurſus, quod plura abſorbeat alter
Fercula, quod cænet large, et majore catino,
Quod ganeata voret, tunica meliore fruatur,
Plus habeat fidei, vel lingua potentior adſit.
Subdola, ficta, latens, gens hæc capipendula, caſu
Si vultu obſtippo, caperata aut fronte per urbem
Incedat, Vulpes agni ſub pelle recondi,
Obiicient, at ſi raſa cute, ſive ſupina
Prodierit facie, laſcivos, atque petulcos.
Unum illud gravius ſileo, quod Relligionem

Relligio inſequitur, ſectam quoque ſecta perodit.
Sed ſua cuique placent, aliena, ut ludicra, damnat.
Tot ſunt ſacrorum ritus, quot clauſtra reguntur
Ordine ſub vario, cui tam variata voluntas,
Factio tam varia eſt, varia quam veſte teguntur.
Namque ſacerdotum cœtus et carpit, et odit
Tot quot ſunt fratres, quocunque ſub ordine degant.
Auguſtina phalanx acuit mala ſpicula contra
Servorum nigras acies, rurſus niger hic grex
Subſannat, quoſcunque videt ſub veſtibus albis.
Hinc Benedicta cohors illos, queis regula nomen
Indidit, allatrat et morſu, et dente canino.
Hi laniant monachos, monachique odere Coletas.
Dictus et obſervans odio inſectatur utroſque.
Inque Minoritas jactant fera tela Thomiſtæ,
Qui ſibi tam docti, tam ſancti, tamque beati

Appa-

Apparent, itidem ut jubeant nos credere, quod ſint
Et docti, et ſancti, quum nil ſimulatius ipſis.
Tertia progenies ſpuma conflatur ab omni,
Gens inimica Deis, ſtygioque inviſa profundo.
Denique poſt varios caſus, tormenta, labores,
Mille odia, et curas, vivens, an funera paſſus,
An bonus, an ne malus, veſtis ſit nigra, vel alba,
Tot quot ſunt fratres, ipſi quoque Fabula fient.

Quis non miretur, Fauſtino iſthæc eo tempore in ipſa Italia ſcribere, inque publicam edere lucem licuiſſe?

CXIII.

JO. HENRICUS MAJUS FIL.

Quorſum tu me migraviſſe putabis, qui ſerius ad tuas exoptatiſſimas reſpondeam litteras, quam aut mutua conventio noſtra permittit, aut mei ſolet eſſe moris. Forſan ad Siculos me inſtituiſſe peregrinationem cogitabis, ut illorum addiſcerem litteras, mihi æque ac tibi notas. Opportune in mentem veniunt Siculi, ad quos, etſi in tua epiſtola ultimo propemodum loco poſitas, tamen nunc primum me convertam. Non recordor, me ullibi legiſſe aut vidiſſe aliquem, qui Siculam linguam pertractaverit, cujus nonniſi pauciſſima exſtare opinor vocabula in antiquis potiſſimum Lexicographis et Scholiaſtis, ſubinde a me collecta, et cum THELEGEDO tuo, quem avide exſpecto, componenda (n). Plura de ea dicere haud ha-

(n) Miror, MAJUM, virum alias oculatiſſimum, hic cogitare potuiſſe de antiqua Sicilia, ſive Trinacria, ampla Italiæ inſula, ejusque lingua veteri, cum de

habeo. Recte conjicis, orationem dominicam, illo ſermone conſcriptam, non ex-

---

de Hunnis ſermo ſit, quibus nihil cum illa Inſula commune eſt. En ergo tibi integrum libri MSti titulum ex Bibliothecæ Vffenbachianæ univerſalis Tomo III. p. 465. Jo. THELEGEDI Rudimenta priſcæ Hunnorum ſeu Siculorum linguæ, brevibus quæſtionibus ac reſponſionibus comprehenſa, nunc in gratiam Rev. ac Clar. Conradi DIETERICI, SS. Theol. D. Eccleſ. Ulmanarum Superintendentis, deſcripta per Ladiſlaum M. S. Zanchii Ungarum. Præfixa Jo. Decii Baronii ad Jo. THELEGEDUM de eadem lingua epiſtola, data ex Foro Siculorum d. 5. Mart. 1598. In fine autem accedit Oratio dominica et Symbolum Apoſtolicum, eadem lingua ac miris plane characteribus deſcripta. Scilicet Siculi populi ſunt Transſylvaniæ regionis, qui lingua patria *Szekhely* dicuntur, Dacice *Zeckeli*, a ſedium vel diſtrictus occupatione, quod poſt primam Hunnorum eruptionem, pulſis e Pannonia Scythis, quædam ipſorum pars in extremum Transſylvaniæ angulum confugit, quem etiam

exſtare in collectione illa petitionis dictæ centum linguis expreſſæ, in Gallia non modo et Belgio, ſed et Auguſtæ Vindelicorum (qua utor editione) typis commiſſa. Conſtantini tui opuſcula a VEBERO noſtro accepi, tibique gratias ago pro inſigni munere, quod tamen tibi remittendum erit, quia non ita pridem eadem mihi obtigerunt opera, et quidem locupletiora, quippe quibus de adminiſtrando imperio liber ad Romanum filium præmiſſus eſt, quem ne quidem ſyllabus operum in tua editione, quæ tamen eodem anno, et ab eodem auctore, et in eodem loco prodiit, adgnoſcit. Baſilii Codex anxie deſideratur a me, quo quia nunc uti nondum licet, facies tamen, ut ante nundinas, et ſi fieri poſſit, intra quinque vel ſex hebdomadum ſpatium, illo potiar. Sequar enim tuum, dulciſſime Amice, conſilium, ipſique ſubnectam orationi, quæ ibi ſum inventurus. Decrevi, quod, niſi fallor, jam olim tibi nunciavi, quædam de lingua Punica meditari, aliis nondum, ut opinor, obſervata. Quum vero

---

tiam hodie tenent. vid. Mich. Ant. BAUDRAND Geographiam, ordine literarum diſpoſitam, Tom. II. f. 235. edit. Pariſ. A. MDCLXXXII.

vero fieri poſſit, ut forſan recentiorum aliquis jam adnotaverit eadem, quæ ignota adhuc exiſtimem, vehementer abs tua urbanitate rogo, ut, ſi quos ex ſequentibus habueris libros, mecum communes facere velis, non vero prius, quam manuſcriptos tuos tibi reſtituere, quum alioquin moles me facile opprimere poſſet. Libri, quos inquiro, hi ſunt: REINESII ἱϛορέμενα linguæ Punicæ. Bernardi ALDRETE Antiquitates Hiſpaniæ et Africæ. Chriſtophori HENDREICH Reſpublica Carthaginenſium. POSTELLUS de Phœnicum litteris, Pariſiis 1552. RHENFERDII periculum Punicum. CLERICI *Biblioth. Choiſie.* Tom. XI. DIETERICI Chreſtomathia, et quos forſan habueris, noveriſque alios huc facientes. Scire quoque velim, an tibi, Amicorum optime, ad manus ſint HOMBERGKI Parerga ſacra; ſi non ſunt, per me accipies. RELANDI Geographiam inſignem rebus philologicis, antiquis maxime, lucem ſuppeditaturam, minime dubitandum, cui ſi Hermannus ab HARDT (nam et hunc illud ſaxum volvere percepimus) ſuccedet in eodem labore, quantum non ſentiemus incrementi? Quid vero mihi cum Geographia vetere, qui, ſi novam mente complector, te alibi locorum hærere recordor, Swalbaci nempe, oppido, ſive magis, vico

aut

aut pago,patrum noſtrorum ævo a ut ædificari cœpto, aut illuſtrari; orbis ſane antiqui locum occupabit nullum. Hic ego te, mi VFFENBACHI, amplector, divinæque naturæ humillimas exſolvo gratias, quod vitam eo uſque extendere placuerit, ut fontibus illis frui queas. Neque dubito, quin ille ipſe, qui ad fontes ire te voluit, ſanitatem cum viribus, vigoremque priſtinum et florem ſuccumque bene ſe habentis corporis animique conceſſurus ſit, quo lætus in loco non inamœno verſari, totusque ſanus ad patriam redire, tuaſque tam impenſe dilectas Muſas inviſere poſſis. Id ego et tui, et Muſarum et eruditorum elegantiorumque, quotquot ſunt, hominum, et mei quoque cauſa, opto. Vive itaque, Amice ſuaviſſime, vive felix, tranquillus, ex tuo, meo, patris, amicorum voto. Longius extenderem haſce litteras vel ea inprimis de cauſa, quod ſolatii loco et vehiculi tibi futuras nuncias; at, ſi vel maxime vellem, tamen præſtare non poſſem. Quæſo enim, quid nunciem? æſtu nos heic urgeri, ac fere diffluere, atqui hoc, vel me tacente, ſenties ipſus. Num pigrum me eſſe Henricum? id vero vix ignorare poteris, ſed vel ex manuſcriptis tuis Codicibus colligere, quos nondum inſpexi. At hæc non mea eſt culpa, ſed temporis,

poris. Sardosne venales et gerras Siculas exponam ? nondum caniculares agimus dies, quibus illas permiſſas credimus ineptias; nondum Siculorum calleo linguam. Tacere præſtat, et incontinentiam linguæ alia occaſione teſtari. Millies, millies, millies vale, VFFENBACHI dulciſſime. III. Id. Quintil. 1714.

CXIV.

JO. HENRICUS MAJUS F.

Denuo ad te, Amicorum princeps, ſcribo, cum quod ita fieri juſſeris, tum quod volupe ſit, te crebrius compellare. Noli vero ruſticitatem meam accuſare, quæ tuos turbare circulos, voluptatemque ex ſuavi et diverſo hominum commercio, quo nunc uteris Sualbaci, brevi illo vanitatum mundi, et, quod tua pace dictum volo, Francofurtenſium inprimis, compendio, cœptam impedire adgreditur. Neque enim mea hæc eſt culpa, ſed tua, ſuaviſſime Amice, qui lepores vocas, quod nil niſi ſtramen eſt, cibus, minime hominibus, tibi autem nunc plane non conveniens. Adfero

fero nihilominus inutilem meam materiam, quæ tantum conducet valetudini tuæ, quantum canibus prodeſt gramen. Plautinus ſum coquus, qui multa jura confundere novit; jam certe, talem me ut adgnoſcas, omni ſtudio contendam. De Heſychio nil unquam tecum locutus ſum, nec tamen Illuſtrium illum in animo ſcias mihi eſſe, ſed Lexicographum. Diu eſt, quod inquiſiverim virum optimum, neque vel Neptuni tridente, vel Diogenis laterna eruere potui. Tu ſi forſan in auctione eum deprehenderis, meis, quæſo, ſumtibus acquire; contentus ero quacunque editione, etſi Schreveliana maximo arrideat opere, Lugduni Batav. edita anno 1668. 4. Hoc unum ferculum, ſed non ad palatum tuum, eo quod cum moleſtia conjunctum. Quare nunc ſuccedat alterum magis gratum. Ex pigro factus ſum diligens; jam enim manuſcripta tua omnia excuſſi, Aethiopico excepto; remiſſurus eadem prima occaſione, atque valorem illorum adjecturus, more ſolito. Horum vices implebunt quoscunque volueris ipſe, modo ne Græcorum obliviſcaris codicum, de quibus non ita pridem jucundiſſima nunciaſti. Baſilium meum urgent typothetarum operæ, vehementerque optarem, ut, ſi fieri ullo modo poſſit, antequam colophon ei addatur, collationes cum

Mo-

Moguntiaco manuſcripto per te, vel me, inſtituantur. Hanc rem tibi relinquo totam, multis edoctus teſtimoniis luculentiſſimis, ſtudium tuum in me ornando juvandoque eſſe adhuc integrum. Conſolationem Boethianam cum manuſcriptis nondum componere quivi, facturus, ſimul ac conceſſum fuerit; quod ideo ſcribo, ne illius me prorſus immemorem exiſtimes. Tranſiit nuper per hanc urbem Italus, qui Caroli VI. Capellanum ſe fuiſſe narravit, Hannoveram migraturus, fidemque avitam cum noſtra commutaturus. Nomen ei eſt Borgias. VI. Kal. Sextil. 1714.

CXV.

JO. HENRICO MAJO F.

Poſtquam bene potus, imo madide madidus (conjugis enim, morbo arquato laborantis, cauſa ſolito diutius moratus ſum) ad Lares redii, omnium cogitationum mearum prima potiſſimaque cura fuit, ut te, Amicorum principem, de reditu certiorem facerem, gratiasque pro binis, qui-

bus me recreaſti litteris, referrem, quod ſane ſumma cum voluptate nunc ago. Quid enim dulcius, quam te poſt tantum ſilentium alloqui? O ſi licuiſſet id coram facere, dum Sualbaci degerem; quanto majori cum efficacia, quantave cum oblectatione bibiſſem aquas, quæ mihi niſi calidæ, herbæque Thee, vel Fabarum Aſiaticarum pulveri infuſæ fuerint, nauſeam creare ſolent. Neque enim Nympharum, quæ ſanguinis æſtum hoc fonte reſtinguere, ſæpius augere ſolent, illecebræ, nugæque, neque Principum pompa, aulicorumque cæterorum, neque reliquorum hominum ingens hac æſtate multitudo animum, niſi moleſtia, afficere potuerunt. Unicum oblectamentum fuit Doctorum aliquot virorum, quibus innotui, commercium, inter quos VERDRIESIUS veſter, quem ſalvere jubeo, haud poſtremum occupat locum. Multum nos invicem de veſtræ academiæ ſtatu, atque de te inprimis, Amicorum optime, confabulati ſumus. Retulit inter alia, te quoque acidularum potu uſum fuiſſe, quod ut ſartam tectam præſtet valetudinem, animitus precor. Non poſſum vero non, quin te admoneam, ut in poſterum veteris dicterii memor ſis, quod dulcius ex ipſo fonte bibantur aquæ. Multo ſalubriores tibi futuras auguror, ſancteque promitto, quod uno eodemque tem-

tempore illic comparíturus ſim, ut, inter mutua vota, ſoteria pocula hauriamus, atque animum æque ac corpus reficiamus. Nunc ad tuas eodem, quo mihi redditæ ſunt, ordine reſpondebo. Conſtantini opuſcula, et quidem de adminiſtrando imperio ad Romanum filium libello auctiora te jamdum poſſediſſe, ideo doleo, quod exoptata alias, rara tamen nimis tibi inſerviendi opportunitas evanuerit. Miror autem, jam dictum libellum tuo exemplo additum, cum neque in indice præfixo, in utroque, quæ mihi obtigerunt, promittatur, neque exhibeatur; ideoque ſeparatim illum comparare debuerim. Suſpicor Bibliopolæ oſcitantia primum omiſſum, poſtea vero lucri cupidine adjectum quibusdam exemplaribus fuiſſe. Quod innovandi ſtudium iſtis hominibus, magno licet eruditorum damno, non infrequens eſſe ſolet. Quod ideo moneo, ne mancum donariolum offerre voluiſſe me credas. Baſilii codicem, quod doleo, nondum accepi, urgebo tamen illum, et, quæ cauſa moræ ſit, percontabor. Ex libris, quos ad linguæ Punicæ ſtudium requiris, nonniſi duos, HENDREICHII Rempublicam Carthaginenſem, et CLERICI Tomum XI. Bibliotheca mea ſuggerit. D. PRITIUS REINESIUM promiſit. Hos et ſi quos alios Bibliotheca noſtra publica

forſitan ſuppeditabit, habebis brevi. HOMBERGKI Parerga mihi nondum eſſe, quoniam ita jubes, fateor. Hæc ad priores tuas ſufficerent, niſi pia, quæ finem faciunt, vota refundenda adhuc eſſent. Firmet quoque tibi, Amice dilectiſſime, et corporis valetudinem, et animi ſerenitatem in ſeros uſque annos conſervet Numen benigniſſimum. Heſychius primum in poſtremis Tuis occupat locum. Utinam vero et in noſtris Bibliothecis ſemet ſiſtat, et quidem eo, quo adornatus a SCHREVELIO eſt, habitu. Comparet equidem in mea, ſed veteri editione, Hagenoæ 1521. Græce ſolum publici juris facta. Noviſſimam magno ſæpe pretio redimere tentavi, ſed fruſtra. Quodſi illo potiturus ſum, tuis illico cedet uſibus. Novos Codices Hebraicos, æque ac Græcos, quamprimum priores recepero, ſubmittam, ne nimium in forulis meis detur vacuum, neve meis te obruam, tuaque patientia abutar. Prodiit tandem novus Bibliothecæ Græcæ per FABRICIUM Tomus, ſextus videlicet, Libri V. partem alteram conſtituens. Hunc eo avidius exſpectaveram, quod Cæſarei Codicis mei enarrationem in illo ſe facturum benevole promiſerit vir optimus. Præſtitit id quoque optima fide, atque a pag. 622. uſque ad 640. inſerto non ſolum capitum

Indi-

Indice , ſed et mea , qua Codicem deſcripſeram , incomta licet epiſtola , eum recenſuit. Imo, quod meam exceſſit opinionem , integram præſtantiſſimi operis partem exiguo nomini meo inſcripſit , verbis quidem amantiſſimis, ſed nimiis in immerentem elogiis refertiſſimis. Urget ubique codicis hujus editionem. Non parum igitur lætabitur, ſi ex me audiet , te id oneris in humeros bene valentes tuos ſumere velle, nec eſſe , cui ego et lubentius, tutius , ac melius concredere poſſim. d. XIII. Aug. 1714.

CXVI.

JO. HENRICUS MAJUS F.

Quod a Deo immortali precatus fueram, ut te , Amice familiariſſime, bene fartum, et bene potum, forſan etiam vigori priſtino redditum , totumque lætæ juventutis flore ſuperbientem , quod de Phaonte, Jolao , Eucrate , Proteſilao, aliis , fabulæ docent antiquorum , urbem tuam reviſere faciat , id nuper demum eveniſſe, libens ex litteris tuis intellexi , ad quas ,

nullo verborum fuco præmiſſo, tua pace, me convertam. Reprehendere videris me, quod quum et alias Sualbacum fuerim profectus, et hac etiam æſtate aquis illis uſus, non ad fontes me ipſos contulerim. Verum eſt, aliquoties ex ipſis acidulis hauſi aquas, ſed parum felici ſucceſſu, quum aut nihil profuerint adfectui meo hypochondriaco, aut inducias ſaltem conceſſerint. Unde factum, ut nulla ratione perſuaderi mihi paſſus ſim, eo rurſum veniendi. Equitatione, quod noſti, exerceo corpus meum, illudque exercitii genus et commodius et ſalubrius acidulis ſentio, quibus tamen nonniſi pro vehiculo, ad medicamina Martialia probe diluenda, nunc uſus ſum, nec augendo poculorum numerum, nec minuendo. Hoc eſt, quod collega meus voluit, quem aut rationem potationis meæ ignoraviſſe, aut non diſtincte tibi propoſuiſſe, conjicio. Itaque vix operæ pretium erit, ſtultitiæ theatrum tertia ſalutare vice, quum ſat vanitatis viderim, audiverimque, utilitatis inde acceperim fere nihil. Neque me aut loci amœnitas, aut Principum pompa, aut Nympharum, quas laudas, illecebræ, a propoſito revocare poterunt: malo hic in muſeo et vivere et mori. Unicum, quod doleo, eſt, tuæ converſationis jucunditas, quam vero aliis occaſionibus

nibus fortuna omnipotens offerre poterit. Baſilii codex manuſcriptus ſero ad me veniet, ſi unquam venturus eſt; intra quatuordecim dies prælum relinquet D. Patris opuſculum, neque locus erit relictus, aut tempus addendi quid amplius. Tuum interea favorem, VFFENBACHI cariſſime, tuamque in eo procurando alacritatem exoſculor. Scriptores, ad res Punicas ſpectantes, gratiſſimi erunt, quos inter nullos magis quam CLERICUM, REINESIUM atque RHENFERDIUM deſidero. Tu ſi poſterioris periculum Punicum hiſce nundinis obtinere potueris, ſtudiis meis rem faceres utiliſſimam. De Heſychio nolim tibi moleſtiam crees; ex Actis enim Eruditorum Lipſienſium Latinis intellexi, eum typis Pariſienſium excudi, curante KUSTERO, cujus quum mihi ad manus ſit Suidas, comparabo etiam dictum Heſychium. Codices manuſcriptos tuos omnes, ne folio quidem excepto, tradidi hodie aurigæ, qui cras ad vos proficiſcetur. Ego uti ſolitas, easdemque immortales tuæ benevolentiæ ago gratias, ita enixe rogo, ut diuturniorem moram ne graviter feras. Præfixi ſingulis ſchedas, quod cujusvis libri argumentum ſit, eloquentes; unicum Aethiopicum Codicem ſine ejusmodi tabula ad te mittere viſum, ne confutare mihi Heidel-

bergenſium illum Theologum atque Philologum neceſſe foret. Narrabat is tibi, continere illud volumen hymnos Davidis, Proverbia et Canticum canticorum. De Pſalterio et Cantico me habet conſentientem; ſuntque hæc omnia eo ordine ſibi innexa, quo in Ludolfiana conſpiciuntur editione, ut nimirum Pſalmis Davidicis adjiciantur hymni Prophetarum, virorumque ſanctorum utriusque teſtamenti; ac tum denique Canticum ſequatur Salomoneum. Poſt hoc videas encomium, ut Aethiopes vocant; ſive Orationem ad Deum ac Deiparam Mariam directam, eſtque hæc poſterior, diebus feſtis ſanctiſſimæ virginis recitanda, prolixiſſima. Proverbiorum vero ne veſtigium quidem adparet. Belgicas voces, capſulæ inſcriptas, legere accurate nequeo, quarum ſi interpretationem mihi ſignificare volueris, verbotenus inſtitutam, haberem, de quo te prædicarem. Adjeci Parerga HOMBERGKI, tuique Conſtantini opuſcula. Nihil nunc mihi ſupereſt librorum tuorum, præter Boethianam conſolationem, in qua cum manuſcripto componenda nunc ſum occupatus. Tuum exemplar, finitis nundinis, ad te redire jubebo, quod velim mihi credas. Sed et hoc abs te peto, ut ſimulac redditi tibi fuerint libri tui, certiorem me facias, atque eos cum novis, Græcis,

Græcis, Ebræisque commutes. Novam Fabricianæ Bibliothecæ partem ante hos octo dies Francofordia accepi, lætusque tuum amabile nomen in fronte ejus conſpexi, mihique gratulatus ſum, quod hoc officii genere Cl. FABRICIUM anteverterim; is tamen in eo me longiſſime ſuperavit, quod vaſtum et ſplendidum tibi obtulerit librum, ego nonniſi incomtum libellum, eo relegandum, quo Voluſii annales juſſit Catullus, niſi ſacræ intercederent res, ibi tractatæ. Legi et quæ de tuo Codice habet, o quam difficili mole! Quodſi enim litteratiſſimo FABRICIO in interpretandis vel capitum ſummis hæſit aqua, quid de me fiet homuncione? Non hoc ideo ſcribo, ut detrectare velim onus, quod ſponte me adgreſſurum memoravi non ita pridem, et quod te urgente ſuſcipiam animo promtiſſimo, ſed ut imparem eſſe huic provinciæ oſtenderem, nudius quippe tertius in hanc militiam receptum, deſtitutumque præſidiis, eo facientibus omnibus. Etenim absque mediæ Græcitatis Gloſſariis du FRESNII atque MEURSII, absque Byzantinorum hiſtoricorum corpore et acceſſione illa Banduriana, nil, quod iterum adfirmo, perfici in hoc negotio poterit. Hæc autem et dies et fortuna expedient. Si tua adhuc eſt animi ſententia concre-

 den-

dendi mihi illum theſaurum, uti mea manebit, eum digne tractandi, niſi, quod ſtudio repeto, me digniorem inventurus ſis, ut profecto facile invenies, malim ei manum admovere, quam primum id et tuæ et meæ res permiſerint, ne his divitiis carere diutius cogatur Græcia Germaniaque. Facies itaque, vir amiciſſime, quod communis amici noſtri, FABRICIUM puto, aliorumque proborum æque ac doctorum deſideriis, quod tua gloria, et quod ingenio cumprimis humerisque meis congruum exiſtimaveris. XVI. Kal. Sept. 1714.

CXVII.

CXVII.

JO. HENRICO MAJO F.

In tempore et mellitiſſimas tuas litteras, et inſequentibus diebus manuſcriptorum meorum ſarcinam recepi, hos etiam jam dum in ſcrinia repoſui, majori ſane cum voluptate, quam cum primum a benigna fortuna donabantur. Antequam enim a docta manu tua illuſtrantur, illorum poſſeſſio parum me afficit. Hinc igitur ipſe conjicere potes, quantum in illis enodandis officium mihi præſtes, et quam inſigni beneficio obſtringas., ſi et reliquis parem impendas operam. Quod ut facias, licet inſignis tua humanitas, atque benivolentia dubitare non ſinat, etiam atque etiam rogo. Exorandus mihi etiam es, Amice dilectiſſime, ut quanta poſſis, ac reliqua graviſſima tua negotia patiantur, promtitudine id fiat. Urget enim,quod diu in animo volvi, conſilium, ut ſcilicet omnium manuſcriptorum meorum Indicem in amicorum gratiam, publicumque commodum parem. Quod præſtare nequeo, niſi et orientalium meorum Codicum notitia docta tua opera auxi-

auxiliove acceſſerit. Hæc enim inſigne reliquis ornamentum, publice etiam, uti par eſt, deprædicandum conciliabit. Haud gravatim igitur, novos, quos cenſuræ tuæ ſubmiſi, codices ſuſcipies, atque quantocyus abſolves. Addidi, quoniam ita exigis, Græca quædam, adjeciſſem etiam ipſum Codicem Byzantinum. Sed, ut verum tibi ingenue fatear, retinendum adhuc duxi, ne forſan avidius iſti incumbas, ſed ut illis potius inhæreas. Inſignis hæc mea eſt, fateor, impudentia, ſed malo illam redarguas, quam ut fidem voluntatemque in dubium voces. Exantlatis vero, quas tibi, Amicorum optume, creare cogor moleſtiis, non cunctabor, quin una cum neceſſario Gloſſariorum, aliorumque librorum apparatu tibi ſatisfaciam. Hiſce præmiſſis reliqua Epiſtolæ tuæ capita excutienda ſunt. Ante omnia vero pro HOMBERGKI Parergis gratias ago, aliqua etiam, quæ jam potui, antidora ciſtulæ, quam Hockero ad te transmittendam demandavi, indidi. In arcula porro invenies Reineſium, Clericum atque Hendreichium, non eo, qui GROTIO olim ſalutaris fuit, modo, ſed quo Tu juvari poteris. Rhenferdium e Belgio litteris ad Wetſtenios datis accerſam, nam incertum dubiumque fuiſſet, an ſponte futuris nundinis compariturus eſſet. Proxime

xime igitur ſequetur Punicus. Maluiſſem vero, ut hac vice ex arca, velut ex equo Trojano una cum Ebræis, Græcis, Latinis prodire potuiſſet. Ejus tamen locum occupabit Siculus THELEGEDI. Ne vero et Belgicum idioma deſit, en tibi, uti deſideraſti, Belgicas voces, capſulæ, qua Aethiopicus Codex meus includitur, ſchedulæque agglutinatæ inſcriptas. Quæ ita legendæ: *Het nieuwe Teſtament en de Pſalmen Davids met Abuſienſe Letters in die tale geſchreven, door de Zoon van den Abiſienſſen Geſandt Chodj a Morad die het ſelve aen de Ed. Hr. Gouverneur Generael Joan Camphays in den Jare 1691. heeſt vereſt ſynde gem. Syn Soon met hem uyt Abyſſinien vertrocken en op die reys overleden.* Visne horum translationem? Dabo tibi illam, et quidem lubentiſſime. Cum voluptate enim, nec ſine arrogantia tibi agam interpretem, quod officium tam ſæpe, tamque ſtrenue mihi præſtas. Ita vero verbotenus ſonant: *Novum Teſtamentum et Pſalmi Davidis Abyſſinicis litteris, inque eadem lingua ſcripti, per filium Abyſſinici Legati Chodj a Morad, qui illud* (ſcilicet Teſtamentum) *Nobiliſſimo Gubernatori generali Johanni Camphuſio anno 1691. donavit, proficiſcente dicto ejus filio cum eo ex Abyſſinia, et in itinere* (poſtea) *mortuo.* Hæcce in ſchedula; ſed quam falſa hæc ſint, ocularis ipſius Codicis inſpectio te docuit. Verior

autem,

autem , ac tuo effato conveniens rubro colore adpicta inſcriptio : illam enim ſic lego , atque ex parte reſtituo : *Pſalterium cum Canticis ex vet. Teſtamento , et Canticum Canticorum.* An vero , ut prima inſcriptio vult, Codex hic ab Abyſſinici Legati Filio manu exaratus? ſit fides penes authorem ; cum longe antiquior mihi quidem videatur , de quo , quid tu , Amice dilectiſſime, ſentias , me edocebis. Boethii mora me non angit , conſolari alias poſſet, quod ſat cito , utpote melior , comtior atque ornatior a te rediturus ſit , ſolatiique pleniſſimus. Applauſum ob tributos a FABRICIO immerenti mihi honores amori tuo , adjectam autem comparationem lepido tuo tribuo ingenio. Utrumque vero munus gratiſſimum , nominique meo æternum decus. Si enim aureum FABRICII vocas opus , ego auro contra charum tuum æſtimo opuſculum. Si vaſtum ac ſplendidum illud ais , mole quidem tuum cedere , aſt præſtantia , gravitateque materiæ , eruditionisque pondere , ſuperare affirmo. Verbo dicam : Utrumque ſuo genere eſt præſtantiſſimum : nam , ſi copiam , lectionem , inſignem librorum,quem promit , apparatum , atque notitiam ſpectes , illud ; ſi vero materiarum præſtantiam , ingenium , eruditionemve , ſtyli elegantiam , lectionemque conſideres,tuum magni-

magnificiendum eſt ab omnibus, quibus ſanum eſt ſinciput. Parallelismum hunc expreſſit nimia tua extenuatio : Probe enim alias novi, me laudando gratiam tuam aucupari non poſſe ; imo odium tuum me potius incurrere. Plura igitur non addo, nec quicquam ad illam tuam de virium ac facultatum in tractando Codice meo ſufficientia dubitationem repono. Antequam vero finem faciam, pro more de libello quodam minime obvio, quem nuper acquiſivi, edocendus es. Catalogus eſt Librorum Chaldæorum, tam eccleſiaſticorum, quam profanorum, autore HEBEDIESU Metropolita Sobienſi latinitate donatus, et notis illuſtratus, ab Abrahamo Echellenſi, Romæ 1653. 8vo. Quem niſi jam videris, atque cognoveris, perluſtrandum dabo. d. 25. Aug. 1714.

CXVIII.

CXVIII.

JO. HENRICUS MAJUS FIL.

Ad priſtinam me rediiſſe ignaviam putabis, qui tam diu, ſtatuæ inſtar, ſine loquela perduraverim. Sed in cauſa eſt auriga, cui Hockerus novam tuam machinam librorum portatilem credidit, quem quo magis anxius exſpecto, eo tardius ad nos venit. Nondum certe hoſpites diu deſiderati, acceſſerunt, Pœni, Ebræi, Græci, etſi clavem ante octiduum, ejusdem Hockeri curá, obtinuerim. Dum vero nimium morantur extranei illi homines, ſive quod conſuetudine diverſorii tui jam illecti migrare inde recuſent, ubi tam benigne habiti fuerunt, ſive quod Haſſiam noſtram montanam et ſilveſtrem, et me potiſſimum, horridum, ad breve tempus, inſpectórem, refugiant; malui ante adventum illorum ad te, Vir amiciſſime, ſcribere, quam acceſſum eorundem præſtolando, privare meipſum jucundo colloquio tuo. Antequam ad tuas me accingam litteras, monendum duco, dubium me hæſiſſe, et hærere etiamnum, ad quodnam ſcribendi genus eas referam? Epiſtolæ utique modum excedunt ea, quæ

ad

ad calcem poſuiſti in laudes meas, et quæ panegyricum ſapiunt potius quam epiſtolium. Ego vero etſi vehementer deſiderem talis eſſe, qualem optas; mallem tamen parcius iſta ſcripſiſſes, et ad me quidem, uti omni laude carentem, ſic quoque non dignum. Plane igitur eo loco iſta habeo, acſi tu nec ſcripſiſſes ea, neque ego legiſſem. Et de his quidem plus ſatis. Sed et in hoc reprehendendus es, quod gratias ob perluſtrationem manuſcriptorum tuorum, et quidem tam prolixe, agas, id quod pactis noſtris mutuis repugnare noſti. Libens adgrediar reliquorum, qui ſuperſunt adhuc, omnium recenſionem, idque eo promtius faciam, quo magis id tibi gratum fore intellexi. Ipſe e ſingulis codicibus tuis ſpecimina quædam in mei uſum adnotavi; quæ, ſiquidem ad præſtantiam auctoris multa faciunt, inſerere catologo tuo, ubi ita tibi viſum fuerit, e re erit harum deliciarum cupidorum; immo, ſi volueris, eam partem catalogi tui ſolus ego componam, quæ libros tractabit orientales; collationem inſtituam editos inter et manuſcriptos tuos; quidve hi præ illis habeant, ſollicite indicabo; ex nondum vero in lucem emiſſis, pro dignitate cujusque voluminis, vel pauca adferam, vel plura, quæ lectoribus prodeſſe

poſſint, ſimulque teſtes eſſe theſauri tui, operique, quod moliris, et ſplendorem adferre et pondus. Id niſi fiat, ſterilis, puto, eſſet index librorum, maxime nunquam editorum. De his vero quid ſtatuendum cenſeas, exſpecto; tuo enim ex nutu res hæc pendet univerſa. Urgebo, quantum poſſum, inſtitutum tuum,neque admittam, ut ſegnem me nuncupare jure valeas. Feriæ nunc ſunt, otiaque dedit Deus optimus; promitto igitur,me nil niſi tuos tractaturum libros, non minori feſtinatione, quam fide. Unde neque Græcos inſpiciam, neque alios,quos ſimul mittes, niſi tunc, quando, excuſſis illis, alios abs te exſpectabo, aut niſi mens feſſa alium librum pro delectatione quæſiverit. Ni fallor, numerum manuſcriptorum tuorum Ebraicorum ultra LX. volumina excreviſſe, ante annum mihi ſignificaſti; quorum dimidiam partem hiſce feriis abſolvere conabor, imo etiam plus quam dimidiam, ſi quidem non vaſta fuerint omnia volumina. Bene eſt, quod Byzantinum codicem tecum ſervaveris, cui majore cum fructu incumbere potero, ubi ſolum illum evolvere conceſſum fuerit. Nnnc tibi gratias ago, interpreti meo Belgico, ſed tribus verbis, ne me viciſſim arguendi invenias occaſionem. Quam grato defunctus fueris officio, ediſſerere ne-

nequeo; quum enim infantili ratione intelligere quiverim adhuc Batavas illas voces, nunc plene et lego et percipio. Aetatem Aethiopici codicis ſcire geſtis, Amice; lubens indicarem, ſi ipſus noſſem; longe tamen excedit eam tempeſtatem, quam ſcheda affixa involucro ligneo præ ſe fert, et quæ tota, opinor, ex mendaciis eſt conflata. Quædam codici illi tuo præmiſſa ſunt folia, in quibus huc facientia exſtare conjicio; ſed ſcripta illa ſunt lingua Amharica, quam Sibylla intelligat, non ego. In Boethio conferendo ad librum perveni quartum; niſi itaque mature advenerint libri tui, colophonem imponere ei potero, antequam me aliis conſecrem. Librorum Chaldæorum Catalogus ab EBED JESU compoſitus nunquam mihi viſus eſt, neque tamen nunc cum cura, ut vellem, inſpicere licet; quare id rejiciam in tempus aliud, tibi interea decentes exſolvens gratias ob indicium libri tam rari, quem tuæ illatum bibliothecæ gaudeo. Hac, ſpero, hebdomade Baſilius meus typothetarum relinquet operas, cui adjectas invenies varias ad Hieronymianam epiſtolam lectiones, omnes ex tuo manuſcripto tuo beneficio ſumtas, cujus, pro eo, ut par eſt, mentionem feci publicam. III. Non. Sept. 1714.

CXIX.

JO. HENRICO MAJO F.

Nulla alia cauſa fuit, quod illi, quos ad te ablegavi, hoſpites nondum comparuerint, niſi vectorum, ut Hockerus, quem lectis tuis amantiſſimis illico interrogavi, aſſeverat, raritas, vel potius defectus. Alias enim ſine mora ſe ſtitiſſent, comiter a te excipiendi, fovendi atque ornandi. O felices enim, quibus te adire continget! Ego quidem illos a ſitu, ſqualore atque interitu vindicavi, æreque meo redemi, Tu vero, Amice chariſſime, maximum ſane præſtabis officium, ſi, quod iterum ſpondes benevole, luci publicæ dabis, atque illuſtrabis. Quod cum meis equidem viribus plane denegatum, dicere ſatis nequeo, quanto illos, me etiam atque univerſum orbem litterarium beaturus ſis beneficio, cumprimis cum eo uſque tua aſſurgat induſtria atque benivolentia, ut ſpecimina, quæ cujusque præſtantiam bonitatemque demonſtrent, prodere, integramque illorum deſignationem conficere non detrectes. Quid jucundius mihi, quid publico bono magis proficuum agere poſſes, Amice di-

lectiſſime, ſi in iſthoc perſiſtas propoſito? Quid enim nudi librorum tituli prodeſſe poſſunt? Ego ſane improbum vanumque illorum ſemper exiſtimavi laborem, qui nonniſi tales produnt. Indignos hi ſeſe probant, atque injuſtos uſurpatores atque detentores potius, quam liberales poſſeſſores, liberaliumque artium cultores. In ea igitur ſemper fui ſententia, inanem Titulorum deſignationem ad ſolam oſtentationem fieri, eruditorumque iſto modo deſiderium excitari magis, quam expleri. Conſtitutum igitur ex eo ſtatim, quo Bibliothecam inſtruere cœpi, tempore fuit, aut nullam aut exactam Codicum, quos benigna ſors oblatura ſit, recenſionem dare, additis ſcilicet, quid quilibet contineat, argumentis, inſperſisque pro dignitate ſpeciminibus. Non alio enim animo atque collegi, edendum Catalogum duco, ut ſcilicet publico proſim. Tuam igitur, Amicorum optume, exoſculor in iis, ubi vires me deficiunt, adjuvandi promtitudinem, eamque omnes probi mecum deprædicabunt. Hanc etiam, ſi modo aliqualis Tibi videatur, laudem nemo, uti par eſt, præripiet. Rogabat equidem, ante aliquot menſes, aliquis, quem etiam, me tacente, divinare, ut nullus dubito, poteris, amici in Sileſia nomine, ut Ebraicorum meorum indicem concederem, va-

ſto, quod de Hebræorum ſcriptis moliretur, operi inſerendum. Sed aquam e pumice poſtulabat, quam nec ipſum elicere poſſe reor, etiamſi ipſos fontes, tibi tamen, Amicorum Princeps, ſoli recludendos, aperuiſſem. Nec audebat illos petere, ſed cum confectum illorum indicem negarem, magis mutus, ac piſcis, receſſit. Neque ullum unquam codicem inſpiciendum dedi, neque is, virium ſuarum procul dubio conſcius, deſideravit. O fauſtiſſimum igitur alboque lapillo notandum diem illum, qui te, Amicorum optume, et mihi et Muſis meis conciliavit. Sed plura, etſi lubentia lubentius id facerem, non addo, ne quod amor meus ardentiſſimus ſincero affectu proferret, fictum Panegyricum iterum voces. Nec tamen obedirem, niſi pacta conventa violare religio foret. Quod tamen transgreſſus illa nuper tibi viſus fuerim: Ipſe, ut jam dixi, in cauſa fuiſti. Ferre enim non potui, quod nimium tua extenuares. Provocaſti igitur me, ut te contra teipſum defenderem, tibique declararem, me, ut injuria tibi neque a temetipſo fiat, pati minime poſſe. Cave igitur, ne contemtim de Te, Tuisque loquare, ni velis, ut, ringente etiam, ut ita dicam, modeſtia tua, amor meus te tueatur. Jam præter morem brevem eſſe jubet minus propitia

hactenus,

hactenus, vel parca nimis, quod tamen præfiſcine dicam, Fortuna. Ex eo enim tempore, quo ad Muſas redii, nil donavit Tua notitia dignum. Spes tamen mihi eſt haud vana, illam brevi, inſtantibus præcipue nundinis, tarditatem eo majori graviorique liberalitate compenſaturam. Fortaſſis etiam ex reſidua Camerarianæ Bibliothecæ parte, quæ Erlangæ ſub haſta proxime vendetur, non contemnenda adepturus ſum, uti in prima venditione ſors arriſit. Plurima enim ex Joachimi CAMERARII, aſt quanti viri! Bibliotheca habet veterum autorum monumenta. Omnes ego horum editiones, licet quosdam jam poſſideam, notavi, quo tibi gratificari poſſim. Catalogum transmittere in animo habui, ſed mutavi conſilium certis de cauſis, quarum potiſſima, ne forſan meum Tibi inſerviendi gaudium mihi,pauciora annotando, minuas, vel ego te inani, per licitatorum pertinaciam, ſpe lactem. Venditio die 26. menſis currentis futura eſt, qua peracta certiorem, quid impetratum ablaturi ſimus, te faciam e veſtigio. d. 8. Sept. 1714.

CXX.

JO. HENRICUS MAJUS F.

Heri Toja (Francofordiam volo; neque enim illic Helenas deeſſe dubito) venit equus tuus, Amice mellitiſſime, ſatis onuſtus libris tam tuis, quam quos meos eſſe jubes. Itane ſemper impudentem me eſſe decet, quia tu liberalis es? Fatebor tamen ruſticitatem meam, qua nunc etiam motus, quidquid donaſti, maximis perſolutis gratiis, accipio; Simocatta ſaltem et Phranza exceptis, et ad te remittendis, quippe quos jam habui. Beaſti me, princeps Amice, Ariſtotelis operibus, o quam gratiſſimis! Sylburgiana editione Græca, ſed illuſtri et accurata, contentus adhuc fui; nunc deſiderium meum diurnum tua explevit benevolentia, et eo quidem tempore, quo vix ſperaveram. Laudes tibi debebuntur hoc nomine, quoad vixero. De Lipſianis nil dicam; iis enim uti nil exquiſitius, ita nil mihi jucundius. Nunc tuos conſcendam manuſcriptos libros, atque Bellerophontis inſtar hoſpites, limina mea verentes, donabo, perque capillos interrogabo, quid ſibi

ſibi velint ; id tamen ante proximam hebdomada non fiet. Moleſtiſſimum enim nunc vivo tempus , quod litteris ad diverſos ſcribendis impendendum eſt , quo labore ſimulac me liberavero , ſtrenuum agam equitem, viſurus, num hac ratione malum meum hypochondriacum debellare poſſim. Intra tres , quatuor hebdomadas , ſi valetudinem conceſſerit Deus O. M. ad te redibunt manuſcripta tua Ebræa; Græca autem, tua pace, mecum adhuc ſervabo , eo tempore inſpicienda , quo novos abs te exſpecto libros. Id. Sept. 1714.

CXXI.

JO. HENRICUS MAJUS F.

Qui hunc tibi, Amice jucundiſſime, adfert faſciculum, Burcklinius eſt, vir integerrimis moribus, et vera ſimplicitate bonus. Et contra hunc, et contra teipſum injurius fuiſſem maxime, ſi aut illum ſine litteris, quas petebat, ad te venire voluiſſem, aut tam opportunam te ſalutandi occaſionem negligere. Adfert ſecum conſolationem Boethianam, qua ut bene fruaris, eo tamen modo, quo uti illa auctor coactus eſt, nunquam, ex animo precor. Varias lectiones fideliter adnotavi, etiam barbaras, impuras, horridas, et plane nil ad rem facientès, immo linguæ nonnunquam adverſas. Quæ mea religio etſi odio digna ſit: induſtria tamen mea tuum mihi, ſpero, parabit ſervabitque amorem. Codex ille, ex quo diverſitates ſcripturæ depromſi, circa medium ſeculi XV. ſcriptus eſt, poſſeſſoremque adgnovit Gabrielem BYEL de Spira, celebrem illum ſcholaſticum doctorem, cujus etiam manus aliquoties heic comparet. Boethium excipit commentarius in eundem largiſſimus, ſed futiliſſimus, cui

cui Joannis Landsbergii nomen in calce eſt ſubjectum, ſive is ſcriba fuerit, ſive palearum iſtarum conſarcinator. Præter alia quamplurima continet idem volumen Alani de planctu naturæ libellum, quem Joannis de CASA carmini de Sodomia oppoſitum conjiciunt quidam, ſed ridiculo prorſus errore, obſtante quippe temporum ratione, quæ trium fere ſæculorum ſpatium inter utriusque ætatem ponit. Is ſi tibi forte ad manus eſt liber (ego enim illo deſtituor) ut collaturo cum manuſcripto concedere velis, enixe rogo. Nunc ad amantiſſimam tuam epiſtolam, cujus meliorem partem, quæ de me denuo loquitur, plane prætereo. De catalogo abs te conficiendo, cui meas quoque jungi ineptias concedis, pauca ſunt, quæ monebo. Primum eſt, excudendum eſſe catalogum in typographia, litteris orientalibus inſtructa; alterum, plagulas, ſimulac impreſſæ fuerint, ad me mittendas, ne mendis ſcateant; tertium, dandas mihi breves inducias, ut limate edere queam, quæ tam ſplendido operi erunt inſerenda. Poſterius facile a tua impetrabo humanitate, quæ et de prioribus, ut lubet, diſponet. Jam tibi gratias ago, quod laudum tuarum participem facere velis, locumque concedere tibi proximum; quo uti nil acceptius, ita nec utilius con-

tingere

tingere poteſt. Camerarianæ bibliothecæ catalogum accepit neſcio unde pater meus, qui multa te beat ſalute. Animus erat, Græcos inde aliquos comparandi; ſed mutavi conſilium, poſteaquam tua mens mihi innotuit. Diodorus Siculus, num. 74. et Nicephorus, Cedrenus, &c. num. 75. atque Lycophron maxime, cum Tzetzae Chiliadibus, num. 85. deſiderium in me excitarunt vehementiſſimum, neque hunc poſteriorem ulla ratione dimiſiſſem, aut alicui conceſſiſſem, niſi tibi ſoli, Amicorum decus. Arridebant quoque Salluſtii philoſophi, Demophili, Democrati, &c. opuſcula, quæ tamen lubentius inferri volo bibliothecæ tuæ, quam libellis meis. Unicum eſt, quod mihi tuus inſignis ſpondet amor, fore, ut editiones auctorum Græcorum, quas geminas nanciſceris, eodem mihi pretio, quod perſolviſti ipſe, concedas. Nondum libros vidi tuos, nondum ad me venit equus Trojanus, quem Pegaſum eſſe mallem, ut citius advolaret; mihi certe futuri gaudii fructum ſpes jam præfloravit. Brevi tamen, puto, accedent; hodie profecto vidi illos evolvique in inſomniis. Non potuit Trojana Helena tam avide Paridem exſpectare, quam ego homines illos orientales. Deſiderii remedium abs te peterem, ſi medicum te hujus rei noſſem; nunc

nunc aurigarum imploranda auxilia, quibus Viales adprecor proſperos. Proclum, Cleomedem et Aratum, junctim uno libro editos, tibi ſimul mitto, non quod carere te illo exiſtimem, ſed quod Bachmanni et Helvici, noſtræ Academiæ doctorum, manus illic videas; iſtius quidem titulo libri adſcriptam, hujus vero in prima ſtatim pagina, et litteris Ebraicis, uti conſuetudo ejus fuit. Tuum erit, leviſſimum munuſculum non contemnere, ejusque vilitatem doctorum virorum characteribus compenſatam credere. Baſilius meus jam prælo exiit, ſed nondum eſt compactus, alioqui nunc adjeciſſem. III. Id. Sept. 1714.

CXXII.

JO. HENRICO MAJO F.

Cum illæ, quas poſtremo dediſti, litteræ priores anteverterint, ad eas etiam primum reſpondebo, eoque lubentius, quod certiorem me reddiderint, librorum ſarcinam te demum recepiſſe. Gaudeo ſane, quod tam alacri, paratoque ad luſtrationem animo acceperis; miror autem, quod tanto verborum adparatu pro adjectis levidenſibns munuſculis gratias egeris, cum nullas, ſi vel quid valeant, vel quantum tibi, Amicorum optume, debeam, reputem, expectare potuiſſem. Litterario te quoque malo premi, vehementer doleo, animitusque precor, ut equi curſu effugere illud poſſis citiſſime. Cum vero ad idem debellandum, elapſo vere, martialia maxime ſalutaria expertus fuerim, non poſſum non, quin illorum uſum de meliori tibi commendem. Sunt, qui limaturam chalybis ſine alio vehiculo adhibent, eam vero ſtomachi imbecillitas ſæpe ferre non poteſt, ideoque Medicus alia confortantia admiſcuit, inque pillularum forma, ut Galeni fiiii loqui amant, optimo cum ſuc-

ſucceſſu præbuit , ut illarum uſum brevi repetere nullus dubitem. Compoſitionem illarum, ſi ſcire cupias , dabo quam lubentiſſime. Tantum ad eas, quas optima mater tua, nunc ad illas, quas attulit, bonus , ut ipſum vocas, Burcklinius. Mihi adhuc nullius coloris homo eſt, albus, an ater ſit, neſcio. Cum vero tuo judicio atque teſtimonio probatiſſimus , primæque jam notæ ſit , quam maxime doleo, quod, me abſente , ac tabernas librarias perreptante, faſciculum tuum familiaribus dederit, nec dum redierit. Spem tamen ſæpius illum videndi fecit Vir ex ſacro noſtro ordine integerrimus RITTERUS junior, aſſerens, illum Andreæ Bibliopolæ, qui Ebraica Biblia prælo commiſſurus eſt, operas ſuas addixiſſe; ita, ut hic aliquamdiu commoraturus ſit. Pro allatis ab eo libellis debitas tibi gratias ago; tam pro eo , quem tua induſtria ornatiorem reddidit, quam eo , quem dono miſiſti, non minus doctis celebratiſſimorumTriumvirorum nominibus, manuque tua inprimis chariſſima illuſtrem. Boethiana Conſolatio multum gaudii attulit , cum tam bonas notas, tamque copioſas lectiones docta manus tua adſcripſerit. Tantum vero abeſt , ut omnium adnotatio odioſa mihi ſit, ut potius diligentia tua probetur quam maxime. Male autem me habet, quod

quod integerrima Operum Boethii omnium editio, quam paucis abhinc diebus cum aliis accepi, non prius in manus meas inciderit, ut tuis præ minutiori illo conſolationis exemplo illuſtrari potuerit. Alani libellus nec in mea Bibliotheca extat (o); quam

(o) Exſtat inter Alani de Inſulis, Epiſcopi Antiſſiodorenſis Opera, cura Caroli de VISCH Antverpiæ 1654. edita, p. 279. ſqq. Polycarpus LEYSERUS in Hiſtoria Poetarum et Poematum medii ævi p. 1045. ſqq. Metra novem hujus libri ex tribus Academiæ Helmſtadienſis Codicibus MSS. emendatiora exhibuit. Inter cætera ejus opera inedita vel deperdita ex Trithemio, Viſchio et Oudino b. FABRICIUS in Bibliotheca Latina medii et infimi ævi Vol. I. p. 93. ſq. commemorat etiam Summam *quot modis* ad Hermengaldum Abbatem S. Ægidii, ſive *de æquivocis myſticis*, de diverſis vocabulorum Scripturæ S. ſignificationibus ſecundum ordinem Alphabeti. Hujusce operis, quod jure Lexicon biblicum nominaveris, codicem manu ſæc. XV. exaratum me inter meas ſervare reculas, hac occaſione indicare viſum eſt. Habentur quoque in eo Codice

quam inexhauſtum enim vaſtumque rei librariæ mare eſt, ut, in maxima etiam affluentia, aqua ſæpe hæreat! alias ſi adeſſet liber, facile conjicis, quam lubenter illum Tibi, Amice chariſſime, concederem, uberrimo cum fœnore recipiendum. Recte autem mones, turpiter illos hallucinari, qui CASÆ carmini oppoſitum volunt. Multa ſane dubia ob jam dictum carmen oborta ſunt, ut GUNDLINGIUS audaculus, ut Hallenſes eſſe ſolent ſcriptores, etiam aſſerere non dubitarit, injuriam CASÆ fieri ab iis, qui præpoſteram nefandamque libidinem illo laudare voluiſſe ſuſpicantur. Sed litem iſtam meam facere nolo, cum MENAGIUS, qui ob ſummam linguæ Italicæ notitiam ipſis indigenis miraculo fuit, illud reliquis CASÆ opuſculis integrum, ut alia quoque parum caſta ex ipſius ſcriptis eliminavit, inſerere dubitarit. Quæ de indice librorum orientalium a te, Amice dilectiſſime, conſcribendo monentur, juſta omnino ſunt, Tuoque arbitrio atque diligentiæ rem omnem ſubjicio merito. Camerarianæ Bibliothecæ Catalogum te vidiſſe, lubens intelligo, me vero in tempore

---

ce ejusdem Alani Parabolæ, ſive Proverbia.

pore, quæ tibi inde comparare geſtiam, declaraſſe impenſe gaudeo, ne jucundiſſima tibi inſerviendi ſpe fruſtraſſes, vel pretium librorum utriusque noſtra licitatione auctum fuiſſet, quod æquum ſatis fore ſpero, tibi autem nullo plane ceſſuros ſpondeo. Utinam modo plures nanciſci poſſim! Cum vero iſtius voluminis, quod Lycophronem complectitur, deſiderium te ceperit, accipe, quæ moliar, ne ſpe excidere poſſis. Ex officina Wetſteniana, ubi proſtare ſciebam, Lycophronem cum Græco Tzetzæ Commentario, atque Gu. Canteri, Jo. Meurſii, propriisque notis a Joan. POTTERO Oxonii in theatro Sheldoniano ſplendidiſſime anno 1702. editum ſeponi juſſi, ut, ſi jucundam hanc Tibi editionem fore ex te intellexero, quod ut quantocyus fiat rogo, eam tibi impertire queam. Pauca alias Bibliopolæ hiſce nundinis attulerunt, nulliusque fere momenti nova, ſi RELANDI Palæſtinam excipias. Speraveram equidem fore, ut e Gallia inprimis plurima, pacta nunc pace, adveherentur, ſed ne unicus quidem ex iſtis comparuit oris Bibliopola. Aliquas nihilominus haud contemnendas Bibliothecæ acceſſiones feci, quarum præcipuas Te latere non patiar. Sunt autem ſequentia; manu deſcripta: Sacer Bibliorum latinorum Codex,

dex, ſatis elegans in membranis; profanum item Alcorani Muhammedis volumen, decem uncialibus redemptum, porro folia aliquot Palmarum ſtylo ferreo characteribusque Sinicis inſcripta. Hæc ſunt calamo exarata omnia, quæ in manus inciderunt. E typis vulgatis, duos ſolummodo in medium proferam libros, qui tibi, Amice optume, ſi Codicem Conſtantinopolitanum aggreſſurus es, adprime utiles futuri ſunt. Theſaurus nimirum Linguæ Græcæ vulgaris, Pariſiis 1709. ab A. da SOMAVERA duobus in 4t. Tomis editus, primus eſt; alter R. P. Thomæ Methodus ad addiſcendam eandem Linguam: ibidem, eodemque anno publici juris facta. Cum utrumque in gratiam Miſſionariorum, quos vocat plebs Romana, compoſitum opus fuerit, prior lingua Italica, poſterior Gallica conſcriptus eſt, quod Latina potius factum voluiſſem. Infimæ etiam ætatis linguam tradunt, quæ hodie adhuc in uſu eſt, ſed cum hæc ex media deſcenderit, vel illa ipſa ſit, variis ſaltim populorum immigrationibus corrupta, nullum mihi plane dubium eſt, quin te illius notitia juvare quoque poſſit. d. 22. Septembr. 1714.

P. S. Cum durantibus nundinis, fre-

quentioribusque in iis interpellationibus parum otii mihi relinqui ſoleat, ne ad te, amicorum Princeps, ſcribendi officio, quod Burcklinii mora jam factum, diu nimis deſim, epiſtolam in tempore ſcribebam, et eodem momento finiveram, quo Burcklinius ſeſe ſiſtebat. Jam circa meridiem erat, prandium inſtabat, Burckliniusque ipſe præ nimia timiditate, modeſtiaque ſua feſtinabat; obiter igitur Bibliothecam perluſtrandam dare poteram, quod alio tempore, uti ipſe volebat, magis opportune fiet. Dedi ipſi, quæ nuper oblitus ſum, THELEGEDI videlicet Rudimenta Linguæ Siculæ, HENDREICHI Carthaginenſem Hiſtoriam, et CLERICI Tomum XI. In poſteriori reperies illuſtrationem Numiſmatum Punicorum, quæ, cum multis aliis, meis oculis vidiſſe, manibusque tractaſſe nuperrime ſcripſi. Erravi tum in nomine poſſeſſoris, vel potius in orthographia: nam non Paris, ſed BARRY nominatur, ut in dicto libello. Cum nomen iſtud ſcriptum nunquam legerim; decepit me indiſtincta nominis in ore Belgarum pronunciatio. Quem lapſum facile condonabis mihi. Ego vero tibi optarem, ut omnem Viri iſtius Theſaurum oculis inſpicere, inque rem tuam uſurpare poſſis: nam nemini mortalium tantam Punicorum numiſmatum copiam

colli-

colligere unquam contigiſſe Dn. WILDIUS, aliique, inſtructiſſimi alias antiquitatum ruſpatores, ſunt confeſſi (p). Alterum, Domini Le BRUYN Itinerarii volumen, de quo nuper etiam dixi, jam ſub prælo Wetſteniano ſudat, ut ipſe

---

(p) Conferri hic poſſunt, quæ de incomparabili Punicorum nummorum theſauro, a Jacobo de BARY collecto, diximus in parte I. hujuſce ſylloges, p. 160. ſqq. Addimus jam, inter Codices MSS. celeberrimæ Bibliothecæ Zaluſcianæ extare *Explication des Medailles Phéniciennes, qui ſont dans le Cabinet de Mr. de BARRY ci devant Conſul de Hollande à Seville.* Eſt Codex, in optima charta, manu elegantiſſima ſcriptus, nummorumque typis, calamo pulcerrime expreſſis, condecoratus. vid. eximium Specimen Codicum MSS. Bibliothecæ Zaluſcianæ a Viro Clar. Jo. Dan. Andrea JANOZKI exhibitum. p. 98. In b. VFFENBACHII noſtri Diario itineris per Germaniam inferiorem, Belgium et Angliam peracti, Tom. II. p. 386. ſq. nonnulla etiam de iſthoc Gazophylacio habentur. Plura vero occurrent in Tomo III. jamjam ſub prælo ſudante, ubi de Vltrajecto ſermo erit.

aſſeveravit Wetſtenius ; quod ob ingentem Palmyrenarum Inſcriptionum copiam, quas ore licet hiante, inersque ſpectator apud ipſum manu ſua nitidiſſime depictas, admiratus ſum, jucundiſſimum, utiliſſimumque futurum eſt. Alter etiam præſtantiſſimi, Illuſtriſſimique Ezechielis SPANHEMII de uſu et præſtantia Numiſmatum, eorundem Wetſteniorum ſtupenda plane induſtria, ingentibusque ſumtibus brevi proditurus eſt. Iterum Vale. Ehem! quid non oblitus pene fuiſſem? Conſilium Tuum, Amice fideliſſime, adhuc petendum maxime eſt. Brevi Bibliotheca Salomonis VAN TIL ſub haſta vendetur in Belgio. In hac præſtantiores ſunt libri, codicesque orientales, e quibus in Tuos potiſſimum uſus, Bibliothecæque meæ ornamentum, ſi non omnia, aliqua tamen comparare vellem. Cum vero ignorantia mea non permittat, ut juſtum illis adæquatumque pretium ſtatuam, iſtam Catalogi particulam, quæ dictos libros complectitur, transmittendam, teque rogandum duxi, ut, quæ tua ſit de iis exiſtimatio, haud gravatim ſingulis adpingas. Nonniſi manuſcripta Volumina notavi equidem, ſi tamen, inter typis exſcriptos libros, rariores, tibique gratiores notare quoque velles, rem non ingratam for-

forſan et Tibi ipſi , mihi autem quam certiſſime faceres.

CXXIII.

JO. HENRICUS MAJUS F.

Non dubito , rite a Burcklino noſtro tibi, Amicorum princeps , traditas eſſe litteras meas tuumque Boethium , quem Baſilius nunc excipit , dudum promiſſus, ſed bibliopegæ negligentia nunc tandem, et moleſte quidem , adveniens. Hunc tu vel eo libentius in tuorum librorum cooptabis numerum , quo crebrius et tuæ benignitatis prædicat ornamenta , et frequentius te monuiſſe recordatur , ut in lucem ipſe prodiret. Unum abs te, Amice optime , peto , ut benevole excipias probe notum tibi Baſilium , etſi nonnihil deformem. Mundam equidem puramque chartam tibi offerre animus erat , ſed bibliopolæ æque ac typothetarum errore accidit , ut nullum plane exemplum eleganti papyro fuerit deſcriptum , quum tamen duo alioqui minimum ornatiora reliquis aſſervare mihi ſoleant. Alterum ,

 quod

quod adjeci, exemplum FABRICIO Hamburgenſi, ſi occaſio tulerit, tranſmitti peto; ad quem ſcribere nolo, ne inepta mea epiſtola ſtomachum ei moveam. Tu et piam ei mentem meo nomine teſtaberis, et multam nunciabis ſalutem. Vix enim audeo ſcribere ad illum, quum ante biennium, et quod excurrit, nec meis nec paternis reſponderit litteris, negotiorum, ut probe novi, et coram expertus ſum, multitudine. Abſit itaque a me, ut moleſtiam creem viro, qui tempore, amicorum reſponſis impendendo, melius uti didicit. Ut de tuis, mellitiſſime Amice, aliquid adjiciam manuſcriptis, ſcias velim, me perluſtraſſe majores codices omnes, ſic ut nonniſi tres ſuperſint quartæ formæ. Spero igitur, me ſub finem ſequentis hebdomadis remiſſurum tibi omnes. XI. Kal. Oct. 1714.

CXXIV.

CXXIV.

JO. HENRICUS MAJUS FIL.

Accepi, quod gaudes, et ipſe lætor impenſe, Manuſcripta tua volumina: neque accepi tantum, ſed excuſſi nunc omnia, demtis Græcis. Eſt inter Ebraicos liber aliquis, non manu exaratus, ſed typis impreſſus, et quidem membranis, non chartis; quæ etiam cauſa erit, ob quam tute feſtinans, vice manuſcripti illum transmiſeris. Eſt ille pars aliqua *Machſor* Judaici, quam vehementer ſcire vellem, ubinam litteris exſcripta ſit; verum titulus deficit, ſimulque finis: pars tamen illa bene ſe habet. Recte feciſti, Vffenbachi, et dilecte maxime, et mihi, quoad vixero, venerande, quod conſilium de catalogo tuo typis publicando in tempore aperueris: ita enim fiet, ut et accuratius conſiderem ſingula, et prolixius tranſcribam. Ego vero totus lætitia exſilio, ob datam mihi anſam bene de tuis merendi libris, qui tam bene de meis meruerunt ſtudiis. Utinam ſpei noſtræ faveret divinæ providentiæ ſollertia, neque me morbis, etſi haud violentis, conſumi permitteret. Præter enim litterarium il-

lud malum, quod mihi tecum commune eſt, immiſit quoque mihi Deus O. M. ſtuporem membrorum, linguæ moleſtiam, et quid non? Metuenda hinc cachexia, et vita brevis. Vix poſſum, ut de poſteriore ſaltem aliquid adferam, per horæ unius ſpatium continuare ſermonem, quod tamen faciendum eſt ſæpius, abſque magno incommodo, ut cum BAUDIO mihi ſit exclamandum: *Laboro nunc ea corporis parte, ſine qua non licet nobis eſſe Profeſſoribus.* Quod ſuaſiſti ex chalybe compoſitum medicamentum, diu ad manus fuit, quantumvis alia ſub forma, pulveris nimirum, cinnamomo tincti. Enimvero neque illud, neque alia compluria ſemel proſtratam humanæ machinæ conſtitutionem reſtituere poterunt in integrum. Tuam interea exoſculor amicitiam, et vere fraternam benevolentiam, quæ nec illo me carere voluit remedio, quod tute expertus es ſaluberrimum. Deum exſpecto ex machina: is niſi advenerit, actum erit. Tempus eſt, Amice ſuaviſſime, ut ad reliqua epiſtolarum tuarum capita accedam. Non ſufficit tibi gratiarum actio, quam exſolvi libens merito, ob dona tua; ita enim interpretabor, tua pace, iſtam urbanitatem tuam, quæ me prorſus tacere jubet. Recte opinaris; neque enim dignas tibi unquam grates agere potero. At dum plane om-

omnem grati animi declarationem rejicis, humanitatem me jubes exuere, et beneficiorum tuorum memoriam deponere omnem. Sic non mihi, ſed Moloſſo tuo benefacias neceſſe eſt, cui ſermonem negavit natura. Ad indicem, ſeu recenſionem potius librorum orientalium bibliothecæ tuæ quod attinet, id unicum ſcire adhuc geſtio, fierine poſſit, ut ea pars, quæ meæ concreditur induſtriæ, heic imprimatur, reliqua ubicunque volueris. Fateor enim ſuperſtitionem meam, qua motus alteri non committere ſoleo mea, quum errores, ab aliis licet admiſſi, in me tamen ſint reduntaturi. Dubito inſuper, an in urbe veſtra inventuri ſitis, qui corrigendi munus et ſuſcipiat et calleat. Judæi quidem adſunt multi, ſed plerumque imperiti, nec ſatis accurati, ut exemplo didici; immo plane illi hanc detrectabunt provinciam, ſimulac tam multa ex popularium ſcriptis deſumta viderint, quæ contra Chriſtianos evomuerunt, eademque aut evulgari non patientur, aut nonniſi vitiis ita maculata, ut ne a peritiſſimis quidem dignoſci poſſint. Quodſi Wetſtenius Catalogum illum tuum imprimere vellet, lubens in Belgium mitterem mea, ſecurus de accurato, quo prodibunt, habitu. Lycophronem POTTERI quia meo redimere vis ære, fac quæ-

ſo

ſo iſtud; eſt enim editio non elegantiſſima modo, ſed et locupletiſſima, utpote cui primum acceſſit ſcholiaſta. Neque tamen Lycophronis cauſa ex Camerarianorum bibliotheca volumen illud notavi, ſed Ttetzis, auctoris non facile parabilis. Conditionem de libris Camerarianis, ſponte mihi ceſſuris, non accipio. Eccur enim tuam ego emungerem crumenam ulterius, qui parum hucusque civilis exſtiti? Tune ignorare poteris, me tam multa tibi debere, ut plura non poſſim? Hoc mihi velim credas; me neque ex Camerarianis libris aliquem, neque Lycophrona POTTERI, niſi deſignato prius pretio, admiſſurum, aut e veſtigio remiſſurum. Neque demtam tibi occaſionem inſerviendi (utar enim ſtilo tuo) conqueri debes, utpote quam et ſæpius arripuiſti hucusque, et ut tandem aliquando dimittas, enixe rogo. Tibi nunc, charum caput, et tuæ bibliothecæ, benignæ meæ matri, novam gratulor acceſſionem, eamque ſatis opimam, qua ut diutiſſime frui queas, publicæ utilitatis cauſa precor. Multum utique, ut bene mones, et mihi et Byzantino proderunt olim codici, rariores illi ad linguam Græcam vulgarem facientes libri, diu quidem mihi noti, at nunquam viſi. BURCKLINIUM jam noſti: Vir eſt a pietate, moribus, induſtria, eru-

eruditione, commendandus. Paucis: hominem vidiſti moribus antiquis, et vere Chriſtianum. Manuſcriptos tuos, quod ſub initium dixi, jam evolvi omnes; mittamque illos hac hebdomade ad te, ſiquidem REINESIUM adhuc intra illud ſpatium perlegere quivero. Eſt liber exiguus, ſed multa eruditione refertus, in quo omnia ſunt denſa, ita ut mihi fere excerpendus veniat totus. Tandem a me petis, o virorum vis, et decus ingens, libris orientalibus Sal. VAN TILL pretium adpingi civile. Magnum eſt, quod petis, et a me, ignaro iſtius rei, et in negotio, quod multis expoſitum eſt damnis. Sæpe enim libros magno emimus pretio, quos debebamus minore; aliquando parum licitando, negligimus optimos. Feci tamen, quod imperaſti, eamque pecuniæ vim adſcripſi, quam ipſe expenderem. Conditio libri, ut vocant, character elegans, moles, alia, multum hic valent, ſed de quibus abſenti judicare non eſt integrum. Libri ex impreſſis num. 6. et 7. illi ſunt, quos tanquam rariores tibi quondam notavi: eos ſi adpoſito pretio habere nolueris, velim mea compares pecunia. Pluris alioquin æſtimantur, quod probe novi. At plus dari, cum marſupium, tum uſus, quem inde exſpecto, metiorque, non permittunt. Alcoranum, quia jam aliquoties poſſides, magno

magno pretio non emes, inprimis haud conſpectum; nam in hoc libro et papyrus, et ſcribendi elegantia, et punctatio cumprimis accurata pretium ſtatuunt. Notæ VAN TILLII vix magni erunt faciendæ, quippe in his ſtudiis non exercitati nimium. Soli Pentateucho Samaritano magnam adjeci argenti ſummam, quam in tuo poſitum eſt arbitrio vel ratam habere vel minuere. Si codex iſte Pentateuchus eſſet Samaritanorum ipſus, nec in Arabicam linguam translatus, dignus eſſet, qui vel L. imperialibus emeretur. Tu, qui plures per vitam emiſti libros, rectius judicabis, quid heic ſtatuendum. Ego nec tuo judicio demtum quid volo, neque meo nimium tribui; detrahere licebit et augere, prout viſum. VIII. Kal. Oct. 1714.

CXXV.

JO. HENRICO MAJO F.

Quod nuper feci, ut ſcilicet poſteriores prioribus antepoſuerim, id jam iterum cogit mœroris, quem poſtremæ Tuæ dederunt, magnitudo. Non exigua equidem fuit voluptas atque lætitia, quam Baſilius tuus attulit, eamque primo loco, ingentique etiam exultatione ſignificaſſem, adjecta, quam pro tam grato donario tibi, Amicorum dilectiſſime, debeo, gratiarum actione. Aſt illa malorum, quæ jamdum, o mihi Theſea pectus junctum fide, inſultat, et quam velut ex ſpecula imminere metuis, caterva repreſſit hilaritatem, ſinceramque omnem voluptatem ademit adeo, ut uxor mea, ita me Deus amet! infauſtiſſima mihi accidiſſe, vel memetipſum, vel ab animo vel corpore ægrum exiſtimaret, cum lectis Tuis ex Bibliotheca, in hac enim, cum redderentur, exiſtebam, deſcenderem. Quid enim majori triſtitia afficere potuiſſet, quam alteram mei partem eodem plane morbo acceſſionem pati, quam mihi ipſi invadens corpus circa veſperam imprimis laſſitudo

ar-

ardorque manus plantasque pedum exurens minantur ? Ita ſane eſt, Amice dilectiſſime, illi, qui animo laborant, corpus frangunt, et qui corpore, illud roborant, athleticeque valent. Fortaſſe anima humanioribus ſtudiis exculta, impatientior carceris rumpit illum, terrenamque immortalis membrorum compagem, corporeamque molem ſpernit, parumque metuit ruinam. Vel etiam, quod humanarum virium, vel potius debilitatis proprium eſt, ut quod aliis accedat, aliis decedere ſoleat, ita animus ſpiritus ſeu meliorem ſanguinis ſuccum in ſuam officinam accerſens, atque ſuis laboribus conſumens, corpus neceſſario marceſcere facit. Abſtinebimusne igitur, Amice conjunctiſſime, a laboribus ? abjiciemuſne curam animæ, ut corpori bene ſit ? Improbone illiberalique labore roborabimus illud, aut quod alii, imo maxima pars mortalium, agunt, otio, deliciis, voluptatibus, rerumque inanium varietate paſcemus, atque a curis animæ, omnibusque plane moleſtiis immune ſervabimus ? Minime; procul dubio una mecum exclamabis : paſcatur, curetur, colatur, ornetur, quod immortale nobis eſt, etiamſi terrenum collabatur, atque intercidat. Dum vero modus in rebus eſſe debet, ſervemus illum et hic, nec carcerem per-

ſtrin-

ſtringamus, in quem ſors humana nos incluſit, ſed patienter a divina manu liberationem ſuo tempore exſpectemus. Abrumpo ſerium ſermonem, quem amor Tui expreſſit, atque voto Poetæ illius benivolo, alio tamen, qui Chriſtianos decet, verumque Deum colentes, ſenſu finio:

agrotat amicus,
Phœbe veni, laus magna Tibi tribuetur, in uno
Corpore ſervato reſtituiſſe duos.

Tecum enim, amicorum Princeps, vivere volo atque mori. Ab eo enim, qui me tantopere amat, divelli me nunquam velim. Novus amoris Tui, benivolentiæque teſtis omni exceptione major eſt Baſilius Tuus: in hoc enim trina vice mentionem mei facis, et quidem ita, ut benignum nimis in me adfectum cohibere te poſſe, nec crebrius monentem audire videaris. Dum enim a laudibus abſtinere te velle ſimulas, ſupra laudes me ponis atque effers. Quid dicam de ſpe, quam iterato orbi litterario de emaculandis a me Hieronymi epiſtolis facis? Elabetur illa, niſi tu ipſe, vel alius expleat. Hoc enim ſolum præſtabo, ut lectiones e codice meo excerptas lubentiſſime cuivis ad publicum uſum petenti ſubminiſtrem, vel eundem in finem Catalogo olim manu-

ſcriptorum meorum inſeram. Hoc enim in animo meo conſtitutum eſt, multisque de cauſis ſemper fuit, ſcriptoris nomen, quanto in honore mihi etiam ſit, affectare nunquam, ſed *Bajulum Eruditorum* agere, maximum reputare facinus. Ad celeberrimum FABRICIUM Baſilium tuum e veſtigio ablegavi, ab ipſo ſumma cum voluptate excipiendum. Quod ipſe procul dubio teſtabitur, modo negotiorum moles ſiverit, quæ illum in ſcribendi officio remiſſiorem facit. Quemadmodum ad meas, quibus ipſi debitas pro egregio Bibliothecæ Græcæ munere gratias egi, nondum reſpondit: ad veſtras autem, quibus Magnificus Dominus Parens (quem meo nomine ſalutabis) atque tu ipſe illum honoraſtis, plane conticuiſſe miror, imo demiror. Ad priores tuas nil ſupereſſet, quod adderem, niſi ſupervacanea tua excuſatio de chartæ, cui inſcriptus cedro dignus libellus eſt, immunditie, animadverſionem aliquam exigeret. Nec enim externa facies, quæ noſtris in Germania, proh dedecus! Librariis non ſine exterorum ſtomacho ludibrioque parum curæ eſſe ſolet, ſpectanda, ſed intrinſeca bonitas, apparatus atque ornatus, qui tuo libello tantus eſt, ut absque reliquo ſplendore tantum valere faciat, quantum unquam, quod lucem vidit, opus ſplen-

didiſ-

didiſſimum. Sed tranſeo ad ultimas tuas, quarum primæ lineæ me gaudio permulcent, quod ſcilicet ſcribis, Codices Ebraicos te jamjam excuſſiſſe. Grata mente tuam veneror diligentiam, tuamque maxime probo religionem, quod ipſe prælo, cui recenſio Codicum ſubjicietur, præeſſe velis. Juſtus enim tuus errorum ſine te committendorum metus eſt. Plane igitur aſſentior, ut in urbe veſtra typis exſcribatur; et quidem, ſi tibi etiam, Amice dilectiſſime, videatur, primum ſeparatim. Cum enim ob varia impedimenta neſciam, quando reliquorum manuſcriptorum meorum Indicem inchoare, ne dicam conficere poſſim, nolim diu nimis orbem litterarium tuo labore, quem et ei et mihi præſtas, fruſtrari. Poſtmodum egregiam hanc tuam purpuram laciniæ meæ tua pace iterum aſſuam, cum minori macularum periculo. Cæterum non levis equidem moles erit, omnium manuſcriptorum Catalogum condere, cum collatorum librorum etiam indicem annectere, imo potiſſimorum excerpta dare animus ſit. Hic tuum iterum auxilium, quoad Græca ſcilicet, implorandum foret, niſi, frontem mihi periiſſe, judicaturum te, metuendum mihi eſſet. Quantum enim laboris, quantumve negotii tibi jam faceſſivi, Amice chariſſime! Cur igitur renuis,

ſi aliqua gratæ mentis documenta dare velim? Quis unquam manibus Tripodem Apollinis adiit inanibus? Quomodo ego te, Oraculum meum, toties peterem, toties fatigarem, nec aliquibus ſubinde donariis impudentiam meam eluerem? Nam de remunerandis officiis nec cogito, nec præ magnitudine et multitudine cogitare poſſem. Accedunt votum tibique, Amicorum optume, cum de antidoro pro aureis, quas nomini meo inſcripſiſti, obſervationibus cogitarem, anxiusque, unde dignum te quidquam conquirerem, hærerem, facta promiſſa, me ſcilicet omnia Græcorum autorum, quæ iterato mihi obvenirent, tuis uſibus mancipaturum. Hæc violare religio mihi foret, nec tu ipſe me a dictis voto atque ſponſione liberum pronunciare, nec ſolventem prohibere potis eris, nec ſi me amas, ſi me amas inquam! ulterius urgebis, voluntatique in te meæ adeo difficilem Te præbebis. Ne vero plane immorigerum me tibi credas, novos libros atque incompactos invito Tibi non obtrudam. Itaque Lycophronem non amplius offero, eo magis, quod non ejus cauſa deſideratum a te ex Bibliotheca Camerariana volumen intelligam, Wetſteniusque iniquius multo pretium ſtatuat, quam quo mihi conſtitit, nec quo tu redimere voles. Tu vero, Amice chariſſime,

me, me quoque audies, ac ſi Tzezen aliaque tibi non injucunda ex venditione Erlangiana, et quæ alias adeptus fuero, haud invitus accipies. En! quæ nuper acquiſivi, tibique deſtinavi aliquale pro Baſilio tuo redhoſtimentum. Cave, ne mihi illudas, teque jam poſſidere pronuncies. Sunt autem ſcriptores duo Græce ſolum loquentes, Photius atque Procopius: uterque ab HOESCHELIO editus eſt pridem. Primus quatuor manuſcriptis Codicibus collatis, notisque, in quibus multa veterum fragmenta, antehac inedita, illuſtratus Auguſtæ Vindelicorum 1601. alter vero cum libro de ædificiis Juſtiniani, fere duplo, quam antea, auctior, ibidem 1607. evulgatus. Plura adderem, modo jam adeſſent; dabit vero tempus alia, quæ, iterum rogo, non ſpernes. Jam gratias tibi, Amice dilectiſſime, ago, quod pretium libris Salomonis VAN TILL adſcribere volueris. Ego iſtud omnibus non ſolum ſtatuendum, ſed ſingulis fere quidquam addendum ratus ſum, ut eo certior illis potiundi ſpes ſit. Baſilium tuum nondum poſſum dimittere. Extant quædam ejus opuſcula, manu exarata, fortaſſis autem Latine tantum, in Bibliotheca Amploniana Erfurti, quam in itinere meo Saxonico vidi ſqualore oppletam, plane-

que neglectam, ac tineis muribusque in eſcam relictam, licet MSS. Codicibus abundet. Ego memorabiliores tum feſtinans ex Catalogo notavi, cum libros ipſos præ pulvere et ſordibus luſtrare haud poſſem, quantumvis eorum cupidiſſimus. d. 29. Sept. 1714.

OBSERVATIO
De AMPLONIANA aliisque Erfurtenſibus Bibliothecis.

Mentio, quam ſub finem literarum ſuperiorum fecit noſter Mæcenas, Bibliothecæ Amplonianæ anſam mihi præbet, ex plenioribus meis de vita τῦ μακαρίτυ commentariis ea in gratiam lectorum decerpere, quæ de illa aliisque Erfurtenſibus Bibliothecis ex itineris ab eo in Saxoniam ſuſcepti Diario jam pridem literis conſignaveram. En ergo tibi illa.

Rebus Vinariæ bene geſtis, VFFENBACHIUS veredis uſus publicis (A. MDCCIX. d. XXVIII. Maji) Erfurtum petiit. In hac civitate, tot Monaſteriis inſtructa, varias membranas veteres adipiſcendi ſpem conceperat; ſed, miſſo ad bibliopegos, aliosque membranarum corruptores, miniſtro, ſe ſpe lactatum inani ſenſit. Operam quoque luſit apud ſcrutarios (q) eosque, qui libros compactos diven-

(q) Ipſe Sereniſſimus Brunſvic. Luneb. Dux AUGUSTUS, cujus ad exemplum No-

variantes præterea lectiones et notas criticas complectitur, et ex hoc ipſo quantivis pretii codice Matthias Fridericus BECKIUS, grande quondam Kaufburæ (r), et Auguſtæ (s) decus, Paraphraſin Chaldaicem in Paralipomenon libros, tantopere antehac deſideratam, ſolerti induſtria primus evulgavit (t). Eum cum reliquis quatuor curate deſcripſit, de iisque judicium tulit Abrahamus KALL, Flensburgo Cimber, ſingulari diſſertatione philologico-critica de Codicibus manuſcriptis biblico-Hebraicis, maxime Erfurtenſibus ſub Celeberrimi Joannis Henrici MICHAELIS præſidio in Academia Halenſi A. MDCCVI. publice ventilata, illisque ſingulis ad præſtantiſſimam ſuam Bibliorum Hebraicorum editionem adornandam laudatus MICHAELIS præclare uſus eſt. Inter impreſſos libros vidit opera Fr. Thomæ de KEMPIS, Noribergæ typis Caſpari Hochfelderi A. MCCCCXCIV.

P 5 excuſa,

(r) ubi natus eſt A. MDCXLIX.

(s) ubi præclare de cœtu puriori, ejus fidei commiſſo, ac de orbe erudito meritus, pie defunctus eſt A. MDCCI. d. 2. Febr.

(t) conf. TENZELII Colloquia menſtrua A. 1692. p. 848. ſqq.

excuſa, inque eorum indice non tractatum duntaxat de imitatione Chriſti, ipſi tributum deprehendit, verum etiam ei adjectum Joannis GERSONIS de Meditatione Cordis libellum; cumque hæc opuſcula in aliis quoque priſcis editionibus conjuncta ſubinde fuerint, ſuſpicatus eſt Noſter, inde a nonnullis prius etiam de Imitatione Chriſti opus adſcriptum fuiſſe præter rem GERSONI, quia in antiquioribus editionibus tituli in librorum frontiſpicio haud præfigi ſolebant, ſed ſub calcem tantum indicari, ubi quoque ſubinde, ſi plures libri junctim ſunt editi, ultimi tantum mentio facta, unde facilis fuerit illius erroris occaſio, ut ſcilicet adjudicatum ſit præcedens Kempiſianum opuſculum, quod de imitatione Chriſti inſcribi ſolet, perperam GERSONI, e cujus fœcundo calamo ultimum duntaxat de meditatione cordis profectum fuerat.

In Collegio majori juxta auditorium juridicum Bibliotheca cuſtoditur Academica, quam itidem adiit VFFENBACHIUS, ac paucis admodum inſtructam libris reperit. Erant tamen inter eos quidam luſtratu digni, ac Criticis utiles, v. g. Valerius Maximus per Petrum Schœfferum de Gernsheim Moguntiæ A. MCCCCLXXI in fol. excuſus: Quintilianus ex recognitione

tione Joannis Andreæ Epiſcopi Alerienſis MCCCCLXX. Romæ typis Conradi Sweynheim et Arnoldi Pannarz in fol. Seneca Tarviſii per Bernardum de Colonia A. MCCCCLXXVIII. in fol. impreſſus. Ciceronis orationes ex typographia Veneta M. Adami Ambergau MCCCCLXXII. in fol. Euſtathii Commentarius in Homerum Græce in officina Frobeniana Baſileæ duobus majoris formæ voluminibus typis exſcriptus, inſignis præſtantiæ et raritatis opus. Inter paucos Codices manu exaratos eminebat primi ordinis Ciceronianus, isque membranaceus, quem aliquot annos ſecum habuit, ejusque bonitatem et præſtantiam in præfatione Orationum Tullianarum ab ſe editarum meritis extulit laudibus ὁ πάνυ Joannes Georgius GRÆVIUS (u) et in quo ſequentia continentur de Officiis Libri III. de Oratore Libri III. Rhetoricorum Libri II. de Inventione ad Herennium Topica. Contraria Salluſtii in Ciceronem, et Ciceronis in Salluſtium. Invectivarum in Catilinam Libri IV. Oratio pro Marcello. pro C.Ligario.pro Rege Dejotaro. In Vatinium. pridie quam

(u) vid. ejus Præfationes et Epiſtolas a b. J. A. FABRICIO Hamburgi A. 1707. editas. p. 64.

quam in exilium iret. Cum de reditu ſuo Senatui gratias agit. Cum de reditu ſuo populo gratias agit. In Clodium. Pro Sextio apud Judices. De provinciis conſularibus. De Reſponſis aruſpicum. Pro Cornelio Balbo Pompejo. Pro Celio. Pro Aulo Archia. In Piſonem. de Imperio Pompeji. Pro Aulo Cecinna. Pro Publio Sylla. Pro Cneo Plancio. Pro Milone. de Lege agraria tres libri. Oratio in Verrem. Epiſtolarum Libri III. ad Atticum. Epiſtolæ Familiares et ad Octavium Epiſtola. Q. Cicero de petitione Conſulatus ad Marc. Fratrem. de Senectute ſeu Cato major. de Amicitia ſeu Lælius. Initio Codicis manu ſua Suffridus PETRI Leovardienſis Friſius teſtatur, ſe A. 1558. ipſo uſum, varias lectiones et emendationes inde depromptas cum Joanne OPORINO communicaſſe, ut Ciceronem integrum et emendatum ederet. Ibidem fatetur Matthæus DRESSERUS Erfurtenſis, ſe illo quoque ad editionem Vœgelinianam Lipſienſem A. 1570. uſum. Janus etiam GUILIELMUS, Suffridi PETRI ſchedularum et excerptorum ex inſigni hoc Codice ſubſidio nixus, multas in Tullianis orationibus maculas feliciter delevit. Vidit quoque Biblia Latina in membrana minoris formæ nitide ſcripta, quibus Jo. HUSSUS olim uſus eſſe dicitur:

præ-

præterea Acta et Decreta Concilii Baſileenſis, varios item Sermones in Synodo Conſtantienſi ac Baſileenſi habitos, et antehac rogatu Sereniſſimi Ducis Brunsvicenſis RUDOLPHI AUGUSTI cum Hermanno von der HARDT communicatos.

Peculiarem poſſidet bibliothecam Collegium Pontificiorum Amplonianum, vulgo Porta cœli (*die Himmels-Pforte*) nuncupatum. Cognoverat Noſter ex TENZELII Curioſa, quam vocat, Bibliotheca (x), in conclavi hujus collegii concamerato multa latere Manuſcripta, neglecta penitus, etſi Auguſtini aliorumque Patrum non pauci libri in eorum numero ſint. Haud igitur deſtitit noſter librorum helluo, donec aditus ipſi in hanc cryptam pateſieret. Voti autem damnatus ſui, quodam ſe horrore perfuſum ſenſit, cum deduceretur in conclave tenebricoſum, ac ſpeluncæ haud abſimile, in quo circum circa ac in medio etiam armariis et aſſeribus partim injacebant, partim inſiſtebant multa vetera volumina, adeo pulvere obſita, ut vix conſpici, nedum manu compte-

(x) Repoſitor. I. p. 457.

prehendi potuerint. Herculea tamen audacia arripuit unum atque alterum, pulvere autem denſo et caligine prohibitus, nihil inde cognoſcere valuit. Sciſcitatus itaque de catalogo, comperit, eum apud libros impreſſos in conclavi ſuperiori ſervari. Adſcendit alacriter, et in loco pariter tenebris offuſo inconditam librorum veterum, eorumque maximam partem Scholaſticorum farraginem offendit. Catalogo autem arrepto in prima ejus ſectione inſignem Codicum manu exaratorum copiam invenit, illumque impetrata venia in hoſpitium ſuum lætus retulit, potiora inde, quantum in ea feſtinatione licebat, volitante calamo excerpturus. Vidit ergo in univerſum ibi exſtare mille ac duodecim volumina manuſcripta, partim membranea, partim chartacea, quorum multa quidem levia et exigui momenti, non vero pauca ita ſunt comparata, ut maximopere ea ſic neglecta jacere, et cum pulvere blattisque internecinum gerere bellum dolendum ſit. Speciminis loco quædam commemorare operæ pretium duco. Auguſtini hic adſervantur ſequentia, variis incluſa voluminibus: de conſenſu Evangeliſtarum, Epiſtolæ, decades in Pſalterium, contra errores infidelium, Enchiridion, Libri de civitate Dei, libri retractationum, de oratione dominica, de

Sym-

Symbolo, expoſitio in epiſtolam Joannis, Soliloquium ad Deum de paſſione Domini, de Vita, ad Petrum Diaconum de fide, et plura alia. Ambroſii Epiſtolæ, liber Hexaemeron, de officiis, et Hieronymi Epiſtolæ. Bernhardi Epiſtolæ, Commentarius ſuper Canticum Canticorum, Conſiderationes ad Eugenium, de moribus juvenum, meditationes, ſermones et contemplationes, aliaque: Chryſoſtomus ſuper Matthæum, Homiliæ ejusdem de Paulo, de reparatione lapſus et alii ſermones: Baſilii M. quædam: Dionyſii Areopagitæ de Hierarchia angelica, cœleſti, eccleſiaſtica, divinis nominibus: Origenes ſuper Cantica, ejusdem Homiliæ. Cypriani Sermones, aliquot epiſtolæ, liber de abuſibus ſæculi, liber Joannis presbyteri Damaſceni circa aliquot fidei capitula: Iſidori Etymologiæ, Synonyma, liber primitivorum patrum, liber de interpretatione vocum legis et evangelii, de ſummo bono, de conſolatione hominis, Soliloquia, Liber Scintillarum, ſuper Geneſin et Joſuam: Bedæ Hiſtoria eccleſiaſtica, Commentarius ſuper Parabolas Salomonis, ſuper Acta Apoſtolorum, Expoſitio Regum, de natura rerum, de diſtinctione temporum, de temporibus et computo, de temporibus noviſſimis, ſive finalis pars Chronicorum. Gregorius ſuper Canticum

cum Canticorum, ejusdem Paſtorale, Homiliæ: Fulgentius de fugiendis literis: Aratoris opus carminum ſuper Acta Apoſtolorum: Prudentius contra idololatriam: Anshelmus de ſimilitudinibus; Genealogia Chriſti depicta, ejusdem liber: Cur Deus homo? Sermo Caſſiodori de anima et corpore: Petrus Bleſenſis in Jobum, ejusdem Epiſtolæ: Gaufredus de ſqualoribus curiæ Romanæ: Palponiſta Bernhardi: Biblia metrica: Hiſtoriæ Apoſtolicæ Libri duo. Varia Euclidis: Platonis Timæus: Opera fere omnia Ariſtotelis: Varia Galeni: Ciceronis Epiſtolæ, Liber de Senectute, de officiis, de amicitia, ſomnium Scipionis: Salluſtius: Virgilius: Ovidius: Horatii epiſtolæ, et quædam Odæ: Juvenalis: Terentius: Senecæ Epiſtolæ, quæſtiones naturales, libri de beneficiis, de quatuor virtutibus: Vegetius de re militari: Boethius de conſolatione philoſophiæ: Macrobius in Somnium Scipionis: Servius ſuper Æneida Virgilii: Petri de Vineis Epiſtolæ: Compendium de dictis et vita philoſophorum illuſtrium: Hiſtoriæ Epiſcoporum Colonienſium: Deſcriptiones illuſtrium fœminarum &c. Facile hinc perſpici poteſt, quantus hic lateat theſaurus, ac deplorandum eſt magnopere, eum tam contemtim haberi, inque adeo indignum et obſcu-

obſcurum locum rejectum, pro blattis potius ac tineis adſervari, quam eruditorum uſui concedi. Obtulit ſe nonnullorum codicum emtorem pro præſentibus nummis VFFENBACHIUS, ſagacior hujusmodi cimeliorum æſtimator, ductori ſuo, ſi proxenetam agere vellet, os generoſo vino Hocheimenſi oblitururus, donoque inſigni ejus operam compenſaturus. Et quam vellem, voto ſuo potitus eſſet Virorum Optimus! Plurima enim ſane hinc commoda in literatum orbem redundaſſent.

CXXVI.

JO. HENRICUS MAJUS F.

Levatum me ſentio ægritudinis parte non exigua, poſteaquam tibi meam ſalutem curæ eſſe cognovi. Dolui tamen magno opere, atque moleſte tuli acceſſiones morbi, quibus te vexari indies ſcribis, idque eo magis, quia et amiciſſimo id contingit viro, et meam vicem ſerio dolenti. Ita vero fieri oportebat, ut uterque noſtrum perpetuum haberet bene agendi monitorem, futuræ calamitatis prænuncium, ſed et amoris divini teſtem. Eſto nobis cauſſarium corpus, mi Pirithoe (ita enim adpellandus mihi venis, quum me Theſeum nuncupes tuum) atque creberrimi adverſarii illud oppugnantes: turpe eſt, aut adverſariis cedere, aut labore frangi. In eum potius conſtitutos nos locum opinabimur, quem, niſi Domino imperante, deſerere velle, maximum foret flagitium. Tuam itaque libens amplector ſententiam, ſtudioque improbo eam emetiar viam, quam me ingredi juſſit ſupremus rerum noſtrarum moderator. Gloriæ eſt militi, ſi in pugna,

nautæ,

nautæ, ſi in mari, venatori, ſi a beſtia interficiatur: et nos libros formidaremus, tam dulces valetudinis inſidiatores, neque cum illis et inter eos exſpirare glorioſum duceremus? Vivamus interea, legamus, ſcribamus, meditemur, quoad Deo viſum fuerit. Ajunt vulgo, hypochondriacos eſſe longævos, quod ut experiaris, mi Vffenbachi, tuoque novo et illuſtri comprobes exemplo, ex animo voveo. Ego ultimam neceſſitatem nec timeo, nec opto; vereor tamen, ut ad majorum meorum perventurus ſim ætatem, quam libenti animo clauderem mature, ſi tantum adjiceretur annis tuis, quantum detrahetur meis. At hæc Deo committamus, Amice. Exhilararunt me litteræ tuæ, vel eo etiam nomine, quod et benevole abs te exceptum Baſilium, et ad Cl. FABRICIUM ablegatum cognoverim; utroque me tibi denuo devinxiſti. Rata ſunt apud me omnia, quæ de Manuſcriptorum tuorum catalogo ſtatuiſti: exſecuturus ſum, quam primum licuerit, conſilium tuum. Collatos libros Græcos alacriter et inſpiciam, et, quæ catalogo inſerenda erunt, deſcribam; neque majore beneficio proſequi per vitam aut me aut Rempublicam litterariam poſſes, quam ſi hunc theſaurum per me publici faceres juris. De donariis, quod addis, vide, quam ſuave ſit!

Apollinis tripodem inanibus neminem acceſſiſſe manibus, ſcribis. Falleris, ſi aut tripodem me domi habere cenſes, aut Apollinem eſſe putas. Midam citius invenies, arrectis auribus, ſed auro carentem. Conditionem, quam narras, aut non recte cepi olim, aut nunc non ſatis intelligo. Eos enim Græcos tantum auctores, quos iterato tibi obvenire vult propitia fortuna, hoc eſt, non quos data opera et cura adhibita inquiſiveris, atque ſeorſim comparaveris, ſed, quos una cum aliis neceſſario emere cogaris, mihi concedendos promiſiſti; alia certe petiti mei mens nec fuit, nec adhuc eſt. Unde Lycophronem abs te neglectum lætor, vellemque idem faceres, cum cæteris, quos mei duntaxat uſus cauſa ex Camerariana notaſti bibliotheca; quos etſi poſſiderem libens, malo tamen iis carere, quam tuis cum expenſis poſſidere. Photium tamen et Procopium accipere non recuſo, quia jam acquiſiviſti; cave vero id committas ulterius, quum ſerio decreverim tandem aliquando liberalitati tuæ, etiam te invito, manum injicere. Nunc tibi indicandum arbitror, quid in Butisbacenſi bibliotheca publica nuper deprehenderim notatu dignum; eo enim excurri, ut moleſto illo comite, hypochondria, nonnihil me liberem. Operis epiſtolaris D. Hieronymi edi-

editionem antiquiſſimam, et ab Jo. Gottfried OLEARIO in bibliotheca ſcriptorum Eccleſiaſticorum et FABRICIO noſtro in Bibliotheca Latina (cujus tamen editio recentior ad manus non eſt) neglectam, ipſique adeo MARTIANÆO ignotam, lætus vidi, quam primam puto omnium eſſe, excuſam quippe Moguntiæ, anno MCCCCLXX. per Petrum Schoiffer de Gernsheim. Quod tibi inprimis gratum erit auditu, et quod manuſcripti codicis tui Hieronymiani auctoritatem ampliſſime firmat, refert illa editio fere omnes varias lectiones, quas tuus ſiſtit codex, ut ex collatione epiſtolæ, nuper a me editæ, patebit, cujus proinde lectiones omnes, ex antiqua illa Moguntina editione deſumtas, peculiari hic leges in ſchedula. Obtulit ſe mihi etiam Gottfridi LANGII ad Gotſchalium de Meſchede hiſtoria excidii et ruinæ Conſtantinopolitanæ urbis; ſex conſtat tantum foliis, eſtque manu exarata, nec, ut puto, impreſſa. Quin et Dietericianam luſtravi bibliothecam, quam ſitu et ſqualore tantum non ſepultam offendi. Græcos fere unice evolvi auctores, eorumque multos ex Aldi atque Stephani officinis prodiiſſe obſervavi; ceteri non adeo magni faciendi, quum nunc longe ad unum fere omnes habeamus tam elegantiores, quam auctiores. Manuſcri-

pta tamen DIETERICI tam negligenter haberi, indignabundus animadverti; jacent paſſim in Muſeo, et ante illud, ubi ciſtam videas frumentariam, iis repletam, et cuivis intranti patentem, ita ut dubium non ſit, chartas illas ab ancillis haud raro in uſus neceſſarios compilari. Subit tamen mirari, quo pacto pleraque omnia, ea ſaltem, quæ ex iſto acervo erui, permanſerint integra. Facta denique ſpes eſt, fore, ut nunc, genero D. Klozii in delirium delapſo, cui deſtinata fuerat bibliotheca illa, emtori, inprimis ſi quis habere velit univerſam, aut bonam certe ejus partem, non pertinaciter denegetur; petii catalogum tunc ad me mitti primum, et, quid poſſeſſor circa hoc negotium decreverit, indicari: illum, ſimulac obtinuero, ad te, Amice optime, mittam, cetera commiſſurus tuo arbitrio. Lubens tibi totam cum manuſcriptis omnibus concedam; quos enim deſiderarem Græcos ſcriptores, quinque aut ſex tantum ſunt, niſi forſan alibi deliteſcant plures, ut quidem non obſcure indicabat Klotzius. VIII, Id. Oct. 1714.

CXXVII.

CXXVII.

D. VALENT. ERN. LOESCHERO

Supremi Conſiſtorii Conſiliario, et Superintendenti Dresdenſi.

Cum libros unice in deliciis habeam, mirum mihi ipſimet videtur, quod hucusque continere me potuerim, quo minus tibi teſtatum fecerim, quantum ex tuis, quibus rem literariam non tam auges, quam egregie potius ornas, oblectationem capiam. Feciſſem id jam dudum, niſi maxima, quæ graviſſimum munus tibi imponit, negotia, et reliquum, quod tibi vacat, temporis libris ſtudiisque dicatum ſacrumque veneratus fuiſſem, atque in hiſce omnibus turbare te, vel minimam etiam moram inferre, piaculum duxiſſem. Aſt cum mecum perpenderem, ſi nudis frivolisque verbis non obſtreperem, ſed aliqua, quæ tibi reique publicæ literariæ uſui eſſe poſſent, offerrem, non vanam nec ingratam tibi operam me facturum credidi. Id enim tantum abeſt, ut egregiis tuis ſtudiis obeſſe queat, ut multo magis promovere iſta poſſe confidam. Ego vero,

quod mearum eſt partium, atque curæ cordique ſemper fuit, præſtiturus ſum, ut ſcilicet publico, quantum in me eſt, inſerviam. Hic enim ſcopus, Deum teſtor immortalem! fuit, cum animum ad conquirendam aliqualem librorum ſupellectilem applicarem. Atque ideo feliciter etiam ceſſiſſe, atque etiamnum, Deo ſint laudes! cedere, perſuaſum mihi habeo. Licet enim nec ſumtibus nec laboribus pepercerim, attamen cum nummis confici rem omnem non poſſe optime cognoverim, divinam, quemadmodum omnes omnino Chriſtianos decet, præprimis providentiam benedictionemque, uti in omnibus ſemper ea, qua par eſt, reverentia exoſculor, ita hic quoque grato veneratus ſum animo. Ut igitur alii eandem mecum deprædicent, pauca de mea bibliotheca in annexis addidi. Abſit vero, ut aliqualem gloriolam inde aucupari velim, ut te potius enixe rogem, ut, ſi aliquam ejus ſuſpicionem ſubeſſe poſſe credas, illa, quæ, ut de meo ſaltim in rem literariam quali quali ſtudio atque voluntate conſtet, bono animo ac integra fide protuli, verba deleas vel omittas. Reliqua autem non ingrata tibi futura exiſtimo, cum peſſimus hic, qui unquam prodiit, liber non ſit

obvi-

obvius (y). Quamobrem omnia loca ſuſpecta, pejora inprimis, ad verbum vertenda ratus ſum; ſi vero Diario, quod tuis auſpiciis prodit, ob prolixitatem inſerere omnia dubites, repetitis vicibus aliqua tamen ſeligere poteris. Si autem accepta tibi talia cognovero, plura ejusmodi ſubminiſtrabo, quantum equidem alia mea negotia patientur. Dies enim ſacros, quibus unice his inhærere poſſum, Patrum operibus legendis, atque cum meis, quorum non exiguum numerum ſors benigna conceſſit, MStis conferendis deſtinavi. Quemadmodum jam abſolutis Hieronymi Epiſtolis, notatisque plus octingentis, quibus multa depravata terſiſſimi, ſi ſtylum ſpectes, alias omnium Pa-

 tris

(y) Intelligit librum impium atque profanum, quem Adrianus COERBACH ſub Friderici Wahrmundi nomine hoc titulo Lugduni Batav. A. 1668. in 8. edidit, æternis tenebris dignum: *Een Blömhof van allerley Lieflykheyd ſonder Verdriet &c.* Concinnatus eſt inſtar Lexici ſecundum ſeriem Alphabeti, ac vulgo etiam appellitatur *Coerbachs Woordenboeck.* Specimina, ex eo depromta ab VFFENBACHIO, exhibentur in Relationibus innoxiis A. 1714. p. 231. ſqq.

tris loca reſtitui poſſunt, lectionibus, ad S. Auguſtini, qui priorem eruditione ſuperat, de Civitate Dei præſtantiſſimum Codicem membranaceum perluſtrandum, atque ad pretioſiſſimam et abſolutiſſimam Gallicam editionem componendum me bono cum Deo accingam. Optarem igitur, ut aliquis, et quidem Theologus, libros meos vulgo ſuſpectos omnes, vobis nondum viſos atque recenſitos non ſolum, ſed etiam MSta theologica mea, quæ lubentiſſime etiam concederem, recenſendi operam in ſe ſuſciperet. Neminem vero heic loci, quod doleo, ſcio, cui id demandari poſſit, niſi D. PRITIUM vel GEISSIUM. Sed ille in ſermonibus non ſolum ad populum habendis, verum etiam typis ſollicite mandandis omne plane ſtudium collocat. Hic vero, ſi rogaretur, in ſe, ut ſpero, reciperet. Interim literas ineditas aliaque minutiora opuſcula, ſi jubeas, deſcribi curabo, hac ſolummodo conditione, ut Diario veſtro, adjecto absque omni tamen (quod quam ſolenniſſime deprecor) encomio nomine meo, interſerantur, ac quandoque aliqua, quæ veſtri argumenti non ſunt, vel hiſtorici et alterius, viciſſim mihi benevole concedantur inedita. Primum requiro non ad oſtentationem, ſed ut pateat, me omni ſtudio rem literariam promovere, nec in-

inutile terræ pondus exiſtere voluiſſe; alterum ne mea divulgem abſque ulla rerum mearum acceſſione. Nihil ſane eſt, quod renuam, modo liberalitatem ac referendæ gratiæ ſtudium vel tantillum experiar. Ita enim decet honeſtos viros, ut ſibi invicem ſuccurrant, ſtudia mutuo adjuvent, et, qui liberalibus artibus nomen dederunt, liberali etiam animo ſeſe complectantur ac proſequantur. Optarem autem, ut MStorum meorum Catalogum tibi dare poſſim, ut ipſe ſeligere, quæ velis, poſſis. Sed is nondum confectus, nec, quando conſcribi a me queat, ob alia, quæ me circumſtant, negotia, video. Dabo tamen operam, ut de theologicis te opportune certiorem reddam, in ſingulis literis de uno alterove in poſterum perſcribendo. d. 14. Jul. 1714.

P. S. Cum nimiam in molem excreviſſet faſciculus, tertiam ſaltim excerptorum partem hac vice transmittere volui, reliquas una cum epiſtolis aliquot LUTHERI aliorumque alia occaſione ſubmiſſurus.

CXXVIII.

CXXVIII.

D. VAL. ERN. LOESCHERUS.

Lætæ perquam acceptæque mihi contigerunt literæ tuæ, Viri tam celebris, deque literaria re tam undique bene merentis, cujus mihi quærendam amicitiam dudum cenſui. Prævenisti autem, o Decus noſtrum, hæc conſilia mea, et, quod majus eſt, ad ornandas Recenſiones antiquonovas theologicas transmiſſo luculento auctario non parum contuliſti. Macte tam generoſa illa et publici egregii ſtudioſiſſima mente tua, quam Deus, bonorum omnium diribitor, bonis ſpiritus, animæ et corporis pluribus largiter coronet! Expecto, prout lubitum tibi fuerit, tam ſalutaris inſtituti continuationem. Hoc unum rogo, ut permittas, ſi quid nimium videatur in recitatione verborum atheiſmo infectorum, illud ut reſecem. Dici enim non poteſt, quam acriter nobis et quam ſæpe a magnis etiam Viris imputetur, quod talium recenſione offendiculum multis demus. Sed hæc ipſe pro judicii tui æquitate porro expendes, meque tuo favore atque amore ſemper beabis. Labori, quem in Patres impendis, fauſta

fauſta quævis ominor. Mittam proximis literis indiculum ſchedarum, quas ad te redhoſtimenti loco curabo. Dresdæ, Kal. Oct. 1714.

CXXIX.

D. VAL. ERN. LOESCHERO.

Vererer, ne talionis jure me uti voluiſſe, vel ſiniſtra alia de meo diuturno nimis ſilentio ſuſpicari poſſis, niſi tua mihi cognita perſpectaque eſſet humanitas atque benignitas. Ego certe vindictæ non tam cupidus, nec etiam tam negligens inconſtantisque ſum animi, ut jam dudum non reſponderim, ſi plurima ſiviſſent obſtacula. Inter hæc fuerunt novi muſei inſtructio, ingentesque tres e Belgio advectæ librorum ſarcinæ, quæ e medio ob locorum anguſtiam tollendæ, libri Catalogo inſcribendi, atque in ſuos loculos reponendi erant, antequam de literario commercio cogitare potuerim. Libri iſti plerique ejus ſunt commatis, ut veſtræ ex illis

illis recenſiones egregie augeri ornarique poſſint. Accepi illos ex venditione Roterodami ſub haſta facta. Collector autem illorum librorum fuit Benjamin FURLY, Anglus mercator ibidem degens, cœtuique, ut vocant, Quackerorum adhærens. Hic ex Anglia, Italia, Hiſpania et cæteris Europæ partibus fere omnibus, quæcunque ſuſpectæ nobis fidei ſcripta potuit, maximo ſumtu ſtudioque corraſit, ut ipſe, cum aliquot abhinc annis illum inviſerem, aſſeveravit Senex ob ſummam, quam præ ſe ferebat, manſuetudinem ætatemque venerandus. Ex his Wetſtenii mei, qui venditioni præerant, ſicque meum comodum promovere poterant, maximam, imo pene omnem librorum myſticorum, Quackerianorum, Socinianorum, Atheiſticorum copiam procurarunt, ut damnatorum meorum caterva octingentorum numerum jam excedat. His etiam acceſſerunt quamplurima MStorum ejusdem farinæ volumina, de quibus alio tempore perſcribam. Vellem ſane, ut tu Catalogum iſtum Furlyanum inſignem inſpicere queas, ut, quæ nactus fuerim, inde colligere poſſis. Unum eſt, quod doleam, præreptum ſcilicet mihi fuiſſe Codicem illum Inquiſitionis, quam vocant, Tholoſanæ authenticum, quem Cel. LIMBORCHIUS in ſua Inquiſitionis hiſtoria in

ſum-

ſummum Romanenſium dedecus, omiſſa, quod mireris, unde habuérit, mentione (z), cum tamen ad majorem fidem feciſſet,

---

(z) Mirandum ſane eſt, LIMBORCHIUM fontem haud coronaſſe, unde ſua hauſit, ac Libri Sententiarum Inquiſitionis Tholoſanæ ab A. C. ciↃ cccvii. ad annum ciↃ cccxxiii. authentici poſſeſſorem, qui illum tam benevole ejus uſibus conceſſit, Benjaminum ſcil. FURLY non indicaſſe, cum hocce beneficium tam fuerit inſigne, adeoque eccleſiæ proficuum; id quod ex ipſo præfationis, quam illi Libro præmiſit LIMBORCHIUS, exordio ſatis eluceſcit. *Ecce tibi librum, qualem typis editum hactenus non vidit Chriſtianus Orbis. Ipſum autographum, quod poſſeſſoris benevola voluntate integro quadriennio in manibus meis fuit, ſcriptum eſt et ubique ſubſcriptum manu Notariorum Inquiſitionis, indiciisque indubitatis conſtat, eſſe authenticum exemplar ex Archivis Inquiſitionis Tholoſanæ depromptum. Authentica indicia adeo ſunt manifeſta, ut ſola voluminis inſpectio mox omne dubium inſpicienti adimat. Volumen conſtat ex pergameno, et intra duas laminas ligneas compactum eſt. Laminarum alteri hic inſcriptus eſt titulus, L. SENTENCIARUM.*

ſet, luci dedit, quod etiam Dn. Furly, cum illum mihi monſtraret, ægre etiamnum ferebat. Sed ad amantiſſimas tuas jam venio. Lætor, quod meum tibi inſerviendi propoſitum transmiſſaque non diſplicuerint. Sed mirari ſatis nequeo, vitio vobis, O Viri optimi, verti, quod portentoſa profanaque heterodoxorum impiorumque ſcriptorum dogmata ipſis illorum verbis, licet duriſſimis, proferatis. Cum enim vobis conſtitutum ſit, opus anti-atheum, vel, ut verbo dicam, antihæreticum ſtruere, neceſſe utique eſſet, ut vivis tales homines coloribus depingatis, ipſosque, quales videri non erubeſcunt, ex ipſorum loquela, juxta Terentianum illud, ſiſtatis. Nec video, quod meti-

RUM. &c. Optarim, ipſum authenticum Manuſcriptum, quo nunc privatus gaudet poſſeſſor, in publica quadam Bibliotheca inter rariſſima κειμήλια aſſervari, ut permiſſu eorum, quibus illius cura demandata eſt, ab omnibus inſpici poſſit: ut ſic in publicum uſum, et ad tanto clarius Eccleſiam Rom. iniquitatis ac ſævitiæ convincendam, fideliter cuſtodiatur; cum, ſi a privato, curioſiſſimo licet, aſſervetur, facile, ſucceſſu temporis, præſertim ſi hæredes habeat minus curioſos, obſcurari et deperdi poſſit.

meticuloſi illi Ariſtarchi metuant, cum eo deteſtabiliora videantur , quo magis enormia horribiliaque ſunt, quæ ex illis afferuntur, effata. Tantum etiam abeſt, ut offendiculo talia eſſe poſſint , ut omnibus potius, quibus aliqua religionis pietatisque cura eſt , horrorem incutiant, cautioresque reddant, ſi videant, quousque, qui a veritatis tramite diſcedunt, prolabantur. Sancti ſane veteris Eccleſiæ Patres non dubitarunt , peſſima quævis ſui ſeculi hominum dicta factave in lucem proferre , probisque omnibus in deteſtationem abominationemque proponere. Sed tu ipſe videbis, quid hic agendum. De transmiſſis autem facies, utcunque volueris, ego certe omnia ſumma fide, ut inveni, transferre dareque debui. Tradidiſſem jam reliqua, niſi amanuenſis oſcitantia neglectum fuiſſet, quæ ſint ultima, quæ jam habes, notare. Ego vero in veſtro opere nil de illis adhuc vidi, nec reperire etiam potui, cum nonniſi ſextus ordo anni 1713. a bibliopolis noſtris, qui tarde nimis procurare ſolent, redditus ſit. Indicabis igitur, ſi placet, locum poſtremum. Interim mitto tibi Epiſtolas aliquot, ex autographis ea, qua par eſt, integritate deſcriptas. Addidiſſem alia, niſi nimiam faſciculi ſpiſſitudinem metuiſſem. Indices, velim , bibliopolam , aut alium

quendam Lipſiæ , ad quem commodiori occaſione minoribusque ſumtibus ad te perferenda curare poſſim. Sunt mihi plurimæ Jo. DURÆI Epiſtolæ ineditæ, ut puto, cum eas in reliquis ejus, quas mihi videre licuit , non invenerim , elegantiſſimæ ad FORSTNERUM, Conſiliarium intimum Wirtembergenſem, de unionis, quod moliebatur , negotio ſcriptæ. Miram ſane , niſi aſtutam , quod talibus caduceatoribus ſolenne eſſe ſolet ſæpiſſime , vapido geſtarit ſub pectore vulpem , probitatem , candorem eruditionemque ſpirant , nec indignæ mihi videntur , quæ hiſce noſtris temporibus , quibus ſimilia agitantur conſilia , edantur. Sed cum longiusculæ pluresque ſint numero , neſcio , an veſtro operi inſerere velis. Nuper etiam adeptus ſum aliquot WISSOWATII atque STEGMANNI junioris ad Ill. BOINEBURGUM literas , in quibus callidiſſimis acutiſſimisque argumentis fidem ſuam ipſi probare ſtuduerunt. Mirum ſane , tantum Virum tam fluctuantis animi fuiſſe, ut talibus etiam aurem præbuerit. Has quoque concedam , ſi viſum tibi fuerit , quam lubentiſſime. Obvenit mihi quoque Codex Bibliorum ſec. XIII. MS. et in linguam Germanicam fideliſſime , ut titulus mentitur, traductorum. Hunc in veſtros uſus re-

cenſere

cenſere (a) incepi, atque obſtupui, quantis figmentis putidisque commentis ſacras paginas fœdatas illico deprehenderim. Eſt ſane lucidiſſimum ac irrefragabile argumentum, quam Cimeriæ ante renatam evangelii lucem fuerint tenebræ, et quam miſere plebs a cœcis iſtis ductoribus circumducta, divinaque veritas ipſa obfuſcata contaminataque fuerit. De aliis duobus Codicibus biblicis rythmicis antiquiſſimis, quos bibliotheca mea etiam ſervat, alio tempore. Dabo etiam operam, ut brevi indicem eorum, quæ a me ſperare, vel potius exigere poſſis, conficiam. Interim epiſtolas jam mitto, quas, ut omnia, quæ a me concedentur, ſolo nomine meo præfixo, vel nuda potius, in bibliotheca mea extare, mentione adjecta, absque omni elogio operi veſtro inſeretis. MELANCHTHONIS literæ ob ſolam clauſulam finalem, qua infauſtum filiæ cum SABINO matrimonium deplorare videtur, notatu dignæ. Plura in poſterum dabo. d. 8. Febr. 1715.

(a) Recenſio inſipidæ hujus ac impiæ perverſionis S. Scripturæ ab VFFENBACHIO deinde inſerta fuit Tom. I. *der Abgeſonderten Bibliothec.* p. 755. ſqq.

CXXX.

M. GOTTFR. BALTH. SCHARFFIVS
Miniſt. Suidnic. in Sileſia Senior.

Quæ late longeque per integram Europam ſparſa eſt meritorum tuorum, quæ in rem litterariam extant, fama me etiam ex hoc terræ angulo finibusque Sarmatiæ ad cultum venerationemque virtutum tuarum protrahit et inſtigat. Equidem paratam audaciæ meæ mihi veniam mente animoque præcipio, quod felici ſidere nuper admodum catalogi illuſtris Bibliothecæ tuæ Tomus prior ad manus meas pervenerit, qui non ſingulare tantum et inauditum hactenus favoris tui in bonas litteras, eorumque cultores argumentum, quod præſens ætas ſumma congratulatione excepit, poſtera, ſi qua futura eſt, obſtupefacta admirabitur, mihi præbere videtur; verum etiam animum addit, MStum aliquod tibi offerendi, quod, niſi totus fallar, locum aliquem in celeberrimo apparatu tuo meretur. Vixit eheu! obſcuro apud nos in angulo haud ita pridem Vir meliori fato digniſſimus, Chriſt. Theoph. UNGERUS V. D. M. in pago quodam

dam Wohlavienſi (b) doctiſſimus, qui hiſtoriæ litterariæ, et quatuordecim linguarum magnam ſibi peritiam indefeſſo ſtudio acquiſiverat, non plane Trajecti ad Mœnum ob commercium cum Rabbinis quibusdam, et Clar. SCHUDTIO litterarium ignotus. Is ipſe inter alia præter Bibliothecam, libris rariſſimis plenam, (cujus partem, eruditionis Orientalium Linguarum ſubſidia continentem, celeberrimus mihique amiciſſimus Jo. Chriſtophorus WOLFIUS, Paſtor Hamburgenſis, ſibi jure emtionis vindicavit,) viduæ liberisque pauperculis (c) opus Memorabilium

(b) qui nominatur *Herrnlauerſchüz*. Nuperrime Optimi atque diligentiſſimi hujus Viri egregiam Diſſertationem de Aldi Pii MANUTII Romani vita meritisque in rem literatam doctiſſimis obſervationibus ſuis illuſtratam Wittembergæ edidit elegantiſſimæ Vir doctrinæ M. Samuel Lutherus GERET, ſumme venerabilis et meritiſſimi Theologi Thorunienſis, Chriſtoph. Henr. Andreæ GERETI unicus optimæ ſpei et præclariſſimæ indolis filius, atque in præfatione de ejusdem vita p. 12. ſqq. expoſuit.

(c) Hinc manifeſtum eſt, neque cœlibem

lium Hiſtoriæ litterariæ de Viris trium poſtremorum Seculorum eruditis reliquit, quod quinque Tomis juſtæ magnitudinis formæque maximæ (in fol.) ex Biographis, Epiſtolographis, aliisque Scriptoribus collectum conſtat, et auctoris manu minutioribus characteribus, lineis arctiſſime compreſſis, exaratum eſt. Sedula hæc apis omne genus librorum Gallicorum, Anglicorum, Italicorum, Belgicorum, Latinorumque pervagata eſt, et retentis auctorum ipſis verbis diligentiſſime excerpſit, quæ ad fata, vitam, mores, libros meritaque virorum doctorum facere videbantur. Factum hinc, ut ſingularia plurima etiam ex ineditis, itinerariis, converſatione et ſimilibus fontibus proderet, et multorum circa hujus vel illius patriam, nomen, annum natalem, emortualem, &c. errores detegeret, ac confutaret. Editorem vidua hactenus mecum, qui amicum, quo familiariter plures per annos uſus ſum, poſt fata adhuc amo diligoque, fruſtra quæſivit. Cum etiam, quod addo, non pauca configi et immutari deberent, ſi

neque improlem fuiſſe b. VNGERUM, quod nonnulli ſibi perſuaſum habent, teſte Clar. GERETO in laudata præfatione p. 15.

ſi in lucem publicam protrahi contingeret, quod paſſim immiſceat, quæ in Sileſia nec dicere, nec ſcribere licet : me tandem ſuaſore ad te, Patrone litterarum et Litteratorum ſumme, confugere audet, et pro ducentis florenis MStum hoc offert, quod lectu non indignum, et Hiſtoriæ litterariæ recentiori multam lucem affundit. Non diffiteor, pretium fortaſſe haud ſatis æquum videri, ſed ipſa cum orphanis miſeris ſummi illud beneficii loco reputabit, et in compenſationis vicem præpotens ac immortale Numen ſollicitare nunquam intermittet. Mihi autem, Generoſiſſime Vir, mitiorem, oro quæſoque, in partem interpreteris, quod gnaviter audax hac ſcriptione ignotus tibi obſcurusque homo omnes verecundiæ limites transſiliiſſe fortaſſis videar. Mearum partium eſſe duxi, hoc amico olim ſincero ut præſtem, quicquid ſit, officii, et tam commoda occaſione animum in tui venerationem plane ruentem omni contentione, ac qua fieri decet, ac par eſt, ſubmiſſione tibi declarem. Hærent in Bibliothecarum apud nos angulis, quæ cum blattis tineisque certare ex animo doleo, v. gr. D. THEBESII Opus Hiſt. Sileſ. abſolutiſſimum, Ejusd. ſpiſſum de Jure Hortorum Volumen, multa eruditione philologica adſperſum, aliaque plura, quæ, ſi

emtor adſit, aut publico vindicari, aut ſaltem in plurium uſus facile cedere queant. Svidnicii Sileſiæ. Ann. MDCCXXII. VIII. Kalend. Octobr.

CXXXI.

GOTTFR. BALTH. SCHARFFIO.

Litteræ tuæ ſerius quidem ad me perlatæ, acceptiſſimæ tamen fuerunt, quod ſingularem tuam erga me benevolentiam teſtentur luculentiſſime. Grato enim animo agnoſco, quod B. UNGERI, Viri optimi, mihique haud ignoti, Adverſaria ad Hiſtoriam et rem litterariam ſpectantia offerre volueris. Arriderent omnino illa mihi harum rerum quam maxime cupido ſemperque ſtudioſo, aſt duo ſunt impedimenta, quæ prohibent. Primum, quod firmiſſime mecum conſtituerim, antea non viſa non amplius comparare, cum tales ſæpe emtiones male mihi ceſſerint, ſpemque conceptam pœnitentia fuerit ſubſequuta. Deinde ingens, quod ſtatuitur, pretium deterret. Interim tuam in amicum

cum defunctum pietatem, et erga viduam orphanosque commiſerationem non modo collaudo, ſed quod apparatum meum litterarium qualemcunque iſtis voluminibus augere atque adornare volueris, grata utique mente agnoſco. Lubens etiam intelligo, quod meum in hoc colligendo ſtudium probes, et cum te minime latere poſſit, quo animo id factum ſit, jucundiſſimum mihi fore perſuadeas, velim, ſi in illo eſſent, quibus tua ſtudia egregia adjuvare poſſem. Dum igitur haud ignorem, quam laudabili diligentia Diarium, quod ſub titulo: *Unſchuldige Nachrichten* hactenus prodiit, ornare allabores, omnia, quæ ad illud augendum facere poſſe exiſtimabis, concedam lubentiſſime. Suppeditavi olim pauca quædam Cl. LOESCHERO, pluraque haud invitus dediſſem, niſi notam aliquam, quæ injurioſa videbatur, Tomo XIV. p. 253. excerptis ipſi transmiſſis, adjeciſſet. Multis enim hanc legentibus videri poſſet, acſi rebus iſtis impiis atque profanis admodum delectarer. Verum equidem eſt, me voluiſſe, ut verba auctoris ſervarentur, aſt non alio fine, quam ut ejusdem impietas eo magis clariusque eluceſcat. In ea enim opinione ſemper fui, integra, quantum fieri poſſit, adverſariorum verba eſſe adducenda, ut eo plenius de eorum mente

malaque cauſa conſtet, nec, quod ſæpe contingere videmus, de mutilatis afflictisque ſententiis conquerendi anſa detur. Quod, ſi hujus loci eſſet, pluribus probari poſſet. Etſi vero, ut ſupra dixi, ea res animum offenderit, non ita tamen ab inſtituto veſtro utiliſſimo alienum reddidit, ut illud meis adaugere porro nolim. Noſti, me omnia mea ad publicos uſus deſtinaſſe, nil igitur erit, quod vobis denegabo. Seligatis igitur e primo, qui lucem jam vidit, Tomo Catalogi, quæcunque vobis apta videbuntur, et quæ præ aliis arrident; omnia certe, quæ juſſeritis, lubentiſſime largiar. Ultro etiam ex cæteris, ſi gratum vobis intellexero, haud pauca concedam, e penu inprimis epiſtolica, quæ gratia divina ad multa hactenus excrevit millia. Nactus enim ſum e Bibliotheca Mayeriana non modo plurima volumina, epiſtolas LUTHERI et coævorum exhibentia, ſed comparavi quoque ſpiſſos duos Tomos ad Balth. MEISNERUM, totidem ad SCHMIDIOS Theologos Argentoratenſes, ac, ut alia taceam, viginti ad Matth. BERNEGGERUM et Jo. Henr. BOECLERUM volumina. Niſi nimia, quæ nos ſejungit, locorum diſtantia prohibuiſſet, nonnulla ex his apographis transmiſiſſem. Si igitur ſocium magis vicinum indicare velles, ad quem commode

commode transmitti poſſent, omnia, quæ juſſeris, concedam. die 30. Januarii. Ann. MDCCXXIII.

CXXXII.

HENRICUS CHRISTIANUS SENCKENBERG,

Nunc Liber Baro, et Auguſtiſſimi Imperatoris in Senatu S. Rom. Imperii Aulico Conſiliarius (d).

Non ſcribo, ſed feſtino ad te litteras, Vir illuſtris, ne aut debitæ tibi reverentiæ

(d) Elegantiſſimas has, optimæque frugis plenas epiſtolas, pace Illuſtriſſimi Viri, quem Germania ſummis ſuis merito accenſet luminibus, huic noſtræ collectioni in ſingulare ornamentum inſero, gratiam hoc pacto initurus ab omnibus, quibus literæ curæ cordique ſunt. Quem enim, quæſo, paulo humaniorem non jucunde

tiæ aut mandatis deſim, neve rerum mearum ſtatum ignores, proxime daturus prolixiores, et, ſi licuerit, comtiores. Ut vero felicia capiam auſpicia, primo tibi novos faſces, ut boni publici cupidum civem decet, * ex intimis gratulor, et non tibi modo, cui cum honore onus accrevit, verum etiam, imo potius integræ civitati, ſenatui, populo, plebi, et quicquid demum alma tenet patria. Redeat te Conſule civitati flos, faſcibus et ſenatui priſtinus honos, civibus obſequium, factioſis bona mens, ut tuum conſulatum, quam diu ſpectamus, coronet alma pax. De itinere meo, quod ſcribam, non eſt; tranſivi quemque locum potius, quam ſpectavi, cum mora mei non eſſet arbitrii. Salutavi tamen Gothæ CYPRIANUM, non admodum recte valentem; cumque LIEBIUS Duci Gothano ab antiquaria ſupellectile et bibliotheca Francofurtum eo ipſo momento profectus eſſet, indignabundus Gotham liqui. Cum illuſtris nominis tui mentio

* jucunde afficiat præcox tanti nunc Viri, qui ſua ſibi virtute atque doctrina ad ſupremum dignitatis faſtigium patefecit aditum, maturitas, in primo jam vernantis ævi flore tam luculenter conſpicua?

mentio fieret, CYPRIANUS dolebat, negotiis ſibi iter Francofurtenſe et tuum alloquium intercluſum hac vice fuiſſe, futurum tamen proxime fortaſſis, ut deſiderii fiat compos. Lipſia Halam veni, Kal. ipſis Maji, atque oppoſitas Domino THOMASIO ædes *in der groſſen Ulrichs Straſſe* habito, ſatis commode, nec ab aere, ſi Deus voluerit, quid periculi. Studioſorum numerus ad duo millia excurrit, non ultra, quæ enim de VI. millibus plus minus narrantur, gerræ ſunt, ipſo Domino Prorectore ALBERTO teſte. Admiſſus ſum jam ad alloquium Ill. THOMASII, BOEHMERI, Johannis JUNKERI, Pauli ANTONII, ad reliquorum ædes propediem promoturus gradum. LUDEWIGIUM et GUNDLINGIUM jam quæſivi, irrito conatu, altero in Lipſienſibus nundinis, illo vero in prædiis tempus feriarum modicum terente. Multus erat in ſermone de te, Vir Illuſtris, THOMASIUS, Optimus Senex, ætatis ingraveſcentis jam ſentiens mala, capite proſpiciens ad terram, haud ſatis firmo greſſu, maxime vero memoriæ ſenſim ſenſimque recedentis abſceſſu infelix. Et tamen talis cum ſit, eſt in labore aſſiduus, ab hora VI. matutina ad horam uſque X. noctis, quod ex hypocauſto meo obſervare licuit; ſed, ni fallor, labores hi ordinarii

narii Academici ſunt, aliis enim, me judice, vix eſt, ut ſufficiat, quærendus nunc, quod ille quondam dicebat, in libris ſuis. De reliquis, quæ heic locorum in ſtudiis gerantur, docebit Catalogus, quem adjeci; ſi quid præterea geſtum fuerit, non patiar J. E. T. id ignorare, ſi quidem fuerit tanti. Cum vero non ignorem, J. E. T. novis litterariis abundare, ex commercio cum eruditis cottidiano tam coram quam etiam epiſtolico natis, qua decet reverentia peterem, ut, quantum per negotiorum molem potuerit, me eorum non expertem patiatur. Verum ne publica diutius morer commoda, eſto hic terminus, præſertim cum temporis penuria currentem revocet. Te itaque, Vir Illuſtris, cum conjuge atque tota familia ſplendidisſima Dei O. M. patrocinio, me vero meaque ſtudia tibi de meliore nota commendo, atque ſi quid a me expectari poterit, quo obſervantiam tibi debitam teſtari queam, vel nutu opus eſt, dabitur opera ſedulo, ut non minus abſens, quam præſens clientis devotiſſimi nomen jure tueri queam. Halæ Magdeb. A. 1727. d. Maj.

CXXXIII.

CXXXIII.

HENRICO CHRISTIANO SENCKENBERGIO
Suo.

Primæ illæ tuæ, quas poſt diſceſſum ad me dediſti, literæ, non modo bene redditæ, ſed acceptiſſimæ etiam fuerunt. Ut enim quanta cum voluptate ob ſummam, qua illas condiviſti, elegantiam easdem perlegerim, ne, quod abſit, otioſis blandimentis commercium, quod nunc, Deus faxit! feliciter inimus, litterarum ordiri velle tibi videar, taceam, lætiſſimum illud de itinere feliciter confecto ac auſpicato, de quo tibi gratulor, adventu nuncium jucundiſſimum fuit. Deinde benigna illa, quam abſens etiam colis, mei memoria ac ſumma, quam omnibus fere lineis teſtaris, benevolentia ſingulari plane gaudio affecerunt. Præ aliis autem tuus in me affectus patet ex pio, quo tuas auſpicatus es, voto, qui etſi nimius videri poſſit, majorque illa, quam Reipublicæ noſtræ ex meo Conſulatu ſpondes, felicitas ſit, quam vel ipſe ullo modo ſperare auſim,

ſim, vel in perturbatiſſimo ac triſtiſſimo rerum noſtrarum ſtatu cordatiſſimorum etiam civium quispiam polliceri ſibi valeat; propenſam tamen tuam exinde in me voluntatem, ſummamque in patriam pietatem omnino agnoſco atque exoſculor. Utinam vero aurea illa almæ Pacis ſecula, ſi non meo ſub Conſulatu, brevi tamen nobis redeant atque perennent! Id quod tecum toto corde atque ex animo voveo. Quod, ad loca, quæ in peracto itinere tranſiiſti, perluſtranda, exigua mora data fuerit, ex ſolita vectoribus feſtinatione facile conjicere potui. Cl. CYPRIANUM vero adverſa valetudine a propoſito ad nos itinere præpeditum fuiſſe doleo, quamvis ejus præſentia jucundiſſima frui per publica negotia vix licuiſſet. LIEBIUM certe, qui cum comite ſuo, Superattendentis Iſenacenſis Nicandri filio, me in ædibus propriis bis fruſtra quæſiverat, in ipſa Curia convenientem vix tribus verbis ſalutare potui. Tranſegit ille, ut audio, cum Wetſtenio, Bibliopola Amſtelodamenſi, de maximo illo opere Numiſmatico, quod Celeb. Andr. MORELLIUS olim paravit, ac ſucceſſor ejus SCHLEGELIUS continuavit. Exhibebit non modo omnia præſtantiſſimi illius Numophylacii Schwarzburgici, quod Duci Gothano poſtea ceſſit, cimelia, ſed quævis alia, quæ MO-

REL-

RELLIUS, vir ſtupendæ plane in Antiquitatibus diligentiæ, in itineribus olim conquiſivit, ſingularique dexteritate ipſemet in æs incidit. Vidi olim, cum Arnſtadii degerem, operis præſtantiſſimi ſpecimina, quæ SCHLEGELIUS benivole commonſtravit. Sed hæc obiter. Illuſtrem THOMASIUM mei adhuc memorem vivere gaudeo, ingraveſcentis vero ætatis ac ſenectutis, quæ, ex veterum ſententia, morbus ipſa eſt, incommoda ſentire condoleo. Salutabis data occaſione eum, uti et cæteros Academiæ veſtræ Profeſſores meo nomine; LUDEWIGIUM cumprimis atque GUNDLINGIUM. Pro transmiſſo benivole lectionum Catalogo gratias ago, majores utique habiturus, ſi, quod humaniſſime polliceris, de aliis, quæ apud vos atque in vicinia in re literaria geruntur, me edocebis. Lubens equidem, quæ viciſſim expetis, nova perſcripturus ſum, aſt, quam pauca memoratu digna hic contingant, ipſe noſti, commercium vero meum literarium, ademto nunc omni fere otio, plane friget. Nec fuerunt hactenus, quas tibi memorem, novæ ad bibliothecam meam acceſſiones, ſi paucos, de quibus nunc dicam, libellos excipiam. Inter hos eminet rariſſimum illud Guil. POSTELLI opuſculum, quod inſcripſit: *Les tres merveilleuſes Victoires des femmes de* nou-

nouveau monde. Apologia eſt famoſiſſimi alterius ipſius libri *de Virgine Veneta*, quem in bibliotheca mea unacum aliis ſcriptis illius minoribus extare noſti. Prioris opuſculi, quod Cl. HASÆUS in Bibliotheca ſua Bremenſi fuſe recenſuit, copiam fecit, atque ex publica Bremenſi accerſivit Klugkiſtius, deſignatus Profeſſor Bremenſis, qui per aliquot menſes hic ſubſtitit, ac ad conſcribendam de Duellis eorumque apud vett. Germanos jure diſſertationem inauguralem, quam Ultrajecti publice defenſurus eſt, libris meis uſus eſt. Schelhornius meus duobus libellis acceptiſſimis me donavit, PORTII ſcilicet de anima opuſculo, ac virulentiſſima illa in optimum, aſt fatali laquei ſupplicio, crudeliſſimi Imperatoris Turcici juſſu, nuper enecatum Wallachiæ Principem Satyra (e). De hac ſequentia ad me perſcripſit

(e) conf. ſi placet, Amœnitat. liter. Tom. II. p. 385. ſq. Libellus ille rariſſimus pariter ac mordaciſſimus hunc gerit titulum: Empirica illuſtris per ſeptem nobiliſſima euporiſta familiaria remedia ad totidem graviſſimos et frequentiores morbos profligandos; authore Michael Schendo R. C. S. Eq. Vanderbech, Philoſ.

ſcripſit Schelhornius: *Libelli famoſi in MAUROCORDATUM auctor, quem Ulmenſes ipſum Vanderbeckium fuiſſe ſuſpicati ſunt, Ulmæ, ubi impreſſus eſt, præſens prelo ſemper aſſedit, ſolicite cavens, ne quod ejus exemplum in aliorum perveniret manus: pauca tamen typographi calliditas ipſius vigilantiæ ſubduxit, reliquis omnibus in Hungariam et Turciam avectis. Auctor iſte bene nummatus, ab Ulmenſibus, qui conſuetudinem cum eo tranſeunte habuerunt, prædicatur ut vir eruditiſſimus, multarumque linguarum cognitione imbutus, librorum, nummorum, antiquitatum, &c. notitia exquiſitiſſima inſtructus, ſed fervidi ac vehementioris ingenii.* Hæc Schelhornius. Plura, quæ addam, non habeo, ac, ſi ſuppeterent, temporis anguſtia non ſineret. Vale igitur, Amice chariſſime, ac tui amantiſſimum redamare nunquam deſine. die 24. Maji MDCCXXVII.

ſ 2 P. S.

---

loſ. et Medicinæ V. Doctore. Addita authoris Apologia adverſus Maurocordati ſycophantias par le Docteur Conrade du Scheben. Editio altera (ut quidem in titulo fingitur) prototypo Londinenſi longe elegantior ac emendatior. Auguſtæ Vind. apud Merz et Mayer, cum permiſſu Superiorum. MDCCXXIII. in 8.

P. S. Quid MAJUS, JOANNIS atque SCHANNATUS noſtri agant, cum ignariſſimis ſcio, neque enim quempiam eorundem poſt diſceſſum tuum vidi, neque quidpiam de illis inaudivi. Vereor, ne MAJUS noſter ægrotet, cum ad ultimas meas nil reſponderit, nec de delato kl. Majis munere, de quo in illis certiorem feceram, hactenus gratulatus fuerit.

Cl. HEUMANNUS, me inſcio minimeque expectante, carmine latino de delatis nuper faſcibus gratulatus eſt. Etſi ſimiles officiorum lautitias non amem, ob ſingularem tamen elegantiam placeret carmen, niſi nimiæ, quibus me ornatum voluit Vir amiciſſimus, laudes offenderent. Mittam data occaſione ejus exempla, quæ hic diſtribuere verecundia vetuit (f).

CXXXIV.

(f) Repetere hic, in gratiam lectorum et b. VFFENBACHII, Viri omnium laudibus digniſſimi, memoriam, venuſtiſſimum illud Optimi HEUMANNI mei carmen juvat:

Conſule Roma ſuo plauſit ſibi, jureque plauſit.
Tu quoque plaude Tibi Conſule, Mœne, Tuo.

Doctorum

CXXXIV.

HENRICUS CHRISTIANUS SENCKENBERG.

Si qua, Vir Illuſtris, de tuo in me meaque, utut citra ullum meum meritum affectu, non aliunde mihi conſtitiſſet, ſatis idonei teſtis loco futuræ fuiſſent litteræ tuæ, quas 24. Maji omni humanitate atque elegantia pleniſſimas ad me dediſti;

 dum

Doctorum Princeps, librorum dives, amator
Veri ac virtutis Tullius ille fuit.
Servator Patriæ, Patriæ decus et decus orbis,
Atque Pater Patriæ Tullius ille fuit.
VFFENBACHIADÆ par virtus, gloria parque:
VFFENBACHIADES Tullius ecce novus!
Doctorum eſt Princeps, librorum eſt Helluo, cultor
Veri ac virtutis, nunc Patriæque Pater.
Magne Vir, applaudo. Flore, Clariſſime CONSUL,
Præſidium Muſæ dulce decusque meæ.
Macte nova virtute, novo mactatus honore!
Sic decus Urbis eris, ſic decus Orbis eris.

dum a negotiorum tuorum catena et in reddendis literis celeritatem , et eam amplitudinem impetraſſe te video, quam ne ſperare quidem auſus eſſem. Inſignis etiam ſpeciminis benevolentiæ tuæ loco illud habeo, quod beneficio fere imputes ea, quæ a me et quidem ampliora jure tuo debebantur, nec non , quod , cum alias ſatis acute cernas , in meis hebetiore quodammodo viſu utaris , ſtili elegantiam mihi tribuendo, quam nullus agnoſco ; neque enim in hoc fundo lepores naſcuntur , ſteriles dominantur avenæ, et infelix lolium. Sed ad alia, ne loquacitate mea tempus, rebus gerendis dicatum, ſurripiam. Nova , quibus me beaſti, grata mente exoſculor, at quæ reddam, fere non ſunt, ſed experiar. THOMASIUS, qua eſt humanitate , altera vice me admiſit, accepitque ſalutem tuam , quam juſſeras , reddens , ut ſuis verbis quam ampliſſimam nunciarem invicem. Bibliothecæ ſuæ adeundæ ſatis benevole poteſtatem conceſſit, adjiciens, licere mihi, ut, quos vellem, domum mecum aſportarem, vel aſportari curarem; danda opera , ne Illuſtr. Virum hujus in me animi pœniteat. GUNDLINGII ædes non una vice adii, antequam aut per valetudinem, aut per occupationes ejus conveniendi poteſtas fieret ; facta tamen paucis abhinc

hinc diebus, et ita quidem, ut, quoniam vacunæ nonnihil erat, duarum horarum ſpatium mihi impertiret, atque ad finem decurrente ſermone repetitas noſtras viſitationes ſibi non ingratas fore oſtenderet, ſi a re nonnihil otii. Miſti medio tempore plurimi ſermones de ESTORE, de feudis, de Palatinis Germaniæ, de Gundlingianis, de SCHANNATO noſtro, cujus diligentiam prædicat, atque, quod primo loco monendum erat, de te etiam, Vir Illuſtris, cujus in rem litterariam merita, ut nulli non eruditorum, ita rei librariæ peritiſſimo GUNDLINGIO non poterant non ſummis efferri laudibus. Affirmabat bibliothecæ ſuæ ſumtus ad XVIII. Imperialium millia excurrere, in ſuis ſe computare libros impreſſos plurimos, ingentes, rariſſimos, Manuſcriptorum nullum; eamque ob cauſam exiſtimare ſe, tuam longe inſtructiorem, longe ſumtuoſiorem eſſe. Subjiciebam ego, quæ videram, quæque ex ore tuo me percepiſſe memoria tenebam, illud quoque, ſæpius illuſtri tuæ dignitati in votis fuiſſe Illuſtris Gundlingii præſentiam, quippe cui in re antiquaria et hiſtorica plurimum deferre ſolita ſit. Amplectebatur tantum de ſe ſuisque judicium, nilque ſibi obſtare, quo minus ad nos excurreret, præter temporis penuriam regerebat, ſperare ſe tamen

 me-

meliora, atque quod nunc negetur, futurum fortaſſis olim. Eſt is in eo, ut diſſertationibus nonnullis jura peregrinitatis atque incommoda apud Germanos expediat, agitat etiam mente diſſertationes in Speculum Saxonicum et Suevicum, quibus eorum fidem a criminationibus LUDEWIGII vindicet, quo labore in præſens vel maxime opus eſt. Edidit enim (nequid noſtrarum rerum ignores) LUDEWIGIUS Singularia Juris, quibus Juris Publici viam regiam terere volentibus ex inſtituto eam ſternit, de auctoribus judicium fert, eorumque certas claſſes ſecundum opinionum, quibus dediti fuerunt, merita conſtituit. Heic, dum eorum, qui Jus Publicum utriusque Speculi decempeda metiuntur, mentionem injicit, in Speculorum auctores atque tradita graviſſime invehitur, nullius omnino ea pretii eſſe contendens. Contra GUNDLINGIUS, utut largiatur, Speculatores fabulis anilibus nonnunquam aurem adhibuiſſe, plurima tamen ex genuinis hiſtoriarum fontibus et Capitularibus Francorum, nec non vetere de Beneficiis libro ab ea nota vindicari poſſe, penes ſe certum habet, quæ ſententia proxime etiam ad meas rationes accedit, utut non per omnia GUNDLINGIO ſubſcribendum putem; nemo enim a me unquam id impetrabit, ut Epkoni de Repko,

vel

vel potius *Rubichau* (quæ familia hodienum ſuperat) integrum, quod ſupereſt, Speculum Saxonicum adſcribam; primæ lineæ hujus Compilationis ei debentur, atque ad ſæculum XIII. pertinent; alia neſcio quibus Scabinis Interpolatoribusve, quod probare, ſi Deus vires et otium dederit, aliquando conabimur. Sed ad res meas, quoniam delatus ſum, permittes diverticulum, ut referam, me moliri opuſculum de Origine Feudorum Germaniæ aliarumque gentium, cujus cogitatio ex ſermone cum GUNDLINGIO et diſcrepantibus ſententiis utriusque noſtrum mihi nata eſt. Sententia Illuſtris Viri eſt, quæ et ante eum aliorum, propoſita Part. I. et XV. Gundlingianorum, feuda a Germanis informata, prima rudimenta apud Romanos prædia ſtipendiaria fuiſſe: ego contra feuda Germanis antiquiſſima, in Germania nata, a Germanis ad Romanos delata, atque demum, cum provincias Romanorum torrentis in morem inundarent, magis expolita eſſe. Promittendi reus ſum, cum Illuſtr. Vir a me ſtipulatus ſit, ut mea in chartam conjicerem, a te itaque qua decet reverentia peterem, ut ſi quid huic rei ſubſidii in inſtructiſſima tua ſit bibliotheca, mihi id pandere ne graveris. Lipſiæ cum degerem, anteactis nundinis, Bibliotheca

MENCKENII et conjunctio mihi patuit. Spectavi plurima viſu digniſſima, interque ea Collectionem characterum literarumque ductuum omnis ævi, SAXII Pontificium Arelatenſe rariſſimum, Chronica quædam Thuringica, et multa, de quibus forte alias, nunc enim properandum eſt. Habitat ædes Menkenianas Vir præſtantis eruditionis, M. J. E. KAPPE, in quo humanitatem cum eruditione conjunctam cerneres; (ſcis unus omnium optime, quam rara hæc una ambulent, quamve paulos utroque alma parens, quibus te cumulatiſſime, beet,) cujus nonnulla jam in publicum emiſſa ſunt ſcripta, atque hiſce ipſis nundinis ſpicilegium Monumentorum, quæ HORTLEDERUM, SECKENDORFFIUM, LEHMANNUMque latuerunt, cum Seculi XVI. Hiſtoriæ lucem inferrent, in 8. Eum inquam Virum noſſe contigit, contigit etiam in amicitiam ejus et literarum commercium ultro oblata admitti, unde quamplurimos mihi fructus ſpondeo. Revertor nunc Halam, ubi bibliothecam Academicam et Marianam Senatus aſpexi verius, quam luſtravi, ea erat temporis penuria; patuit tamen ex hoc aſpectu mihi, alteram libris recentioribus, alteram vero antiquioribus ſcriptis abundare. Ex illis memoro MABILLONII Acta, Annales Benedictinorum, Biblio-

othe-

othecam maximam Patrum, Scriptores rerum Francicarum CHESNEI, Theſaurum utrumque Antiquitatum, Scriptores rerum Italicarum, &c. Ex his Speculum Saxonicum antiquiſſimum MStum, in 4to, MSta aliqua Hebraica, editiones Speculi Saxonici antiquiſſimas, de quibus omnibus diſtinctius alias, ſi juſſeris. Interim commendo Georgii Friderici NEUMANNI Epiſtolam de Bibliotheca Halenſi, 1710. 4. Halæ in lucem datam, cujus neſcio an exemplum poſſideas; plurima tamen ſunt, quæ Neumannum aut fugerunt, aut ob temporis longinquitatem latuerint neceſſe eſt. Ad LUDEWIGIUM per ſaltum revertor, atque in ejus Bibliotheca latens Davidis MEVII JCti Jus Publicum Pomeraniæ. Mira eſt Viro Illuſtri hujus operis commendatio, quod non parvum volumen in folio implere ipſe mihi narravit, quartam partem occupante Syſtemate Juris Publici, tres reliquas tenentibus Actis, Receſſibus Provincialibus, Statutis, atque aliis, Capitulationibus nimirum &c. Provinciæ formulam concernentibus ſpopondit mihi ejus inſpectionem; dum vero eam expecto, ſcire cuperem, num tu de hoc opere aliunde nihil inaudiveris, numve de aliis Germaniæ Provinciis hujusmodi nihil in bibliothecæ tuæ adyta pervenerit; ſed ignoſce, quæſo, temeritati

LEVCK-

LEVCKFELDIUS , de quo ſæpius nobis ſermonem habitum memini, vivit, viget, atque haud ita pridem uxorem duxit: dicitur parare opus ingens hiſtoricum, ſed cujas ſit, nullus novi, fortaſſis oblata occaſione ex ore ejus te docere potero. FRANCKIUS Senior , Orphanotrophei Halenſis auctor ac ſtator , ante hos ſex dies animam exhalavit, mandatum corpus terræ noctu , remotis arbitris , ſed die Martis proxima erunt exequiarum ſolemnia, ſatis ſplendida, ſi credere fas eſt. Ei in officio Directoris Orphanotrophei reliquisque muneribus ſucceſſurus creditur FREYLINGSHAUSEN gener. Sequente ſeptimana edetur Catalogus librorum, auctionis more diſtrahendorum tribus abhinc hebdomadibus , ejus exemplum Ill. D. T. ut ſervem curabo; ſi vero volueris, ut e veſtigio mittam, vel verbo opus erit. BOEHMERUS ſolemnibus pentecoſtes feriis Berolinum profectus erat, filii, quod creditur, in Conſiliariorum ordinem tollendi gratia , aut etiam, quod aliis viſum, pœnam nuperi tumultus cauſa regi debitam deprecandi cauſa. Relata refero, mea non intereſt , id potius , quod Tomus IV. Juris Eccleſiaſtici ejus ſub prælo ſudet , futuris nundinis ad umbilicum deducendus. Nec eo terminatur BOEHMERI diligentia; operarum in manus tradidit Inſtitutiones

cum

cum Paraphraſi Theophili, Latinitati donata, notisque plurimum auctis in forma, quam vocant, quarta. Dum vero novos libros memoro, ſuccurrit, Lipſiæ recudi Catalogum Bibliothecæ Menckenianæ, tertia parte auctiorem, atque Tomum 1. Scriptorum rerum Saxonicarum, Thuringicarumve futuris deſtinari nundinis, quibus iisdem LUDEWIGII noſtratis notas in HORNII Jus Publicum ſe ſiſtet, ut adeo novarum rerum futura ſit ſeges ſatis larga.

De GOLDASTO aurem vello; addidi enim prioribus notatis ad ejus vitam ſpectantibus pluſculum, unde, ſi grave non eſſet, qua par eſt, reverentia rogarem, ut apud Helvetium tuum, quicum literarum commercium, in GOLDASTI familiam, ſcripta, aliaque requiras, quam primum enim de his omnibus edoctus fuero, accedet operi lima ultima, fortaſſis cum nova editione Scriptorum rerum Alemannicarum carceribus emittendo. Verum videorne tibi ad ſatietatem et ultra gravis fuiſſe alloquio? Opinor ſane, antiquum obtineo, noſti garrulitatem hominis; ſed quem non negotia tua graviſſima, chartæ tandem defectus, ut ſileat, monet. Cogito itaque terminum, verum figere nequeo, priusquam monuerim, innotuiſſe

mihi

mihi auctorem *Microſcopii Statiſtici*, diu a nobis in caſſum quæſitum. *Helenopolitani* nomine latebat, inveni vero heic loci opuſculi exemplum, cui ignota manus adſcripſerat: auctor eſt Conradus FISCHERUS, civis et Advocatus Mœno-Francofurtenſis. Quod itaque bonum, felix, fauſtumque ſit! Surgit nobis, qui eruditis Francofurtenſibus tuis, meis, inferatur, aliquando B. C. D. mea opera, tuis auſcipiis, ex tumba poſtliminio revocandis. Opuſculum ipſum, ſi in Bibliothecæ tuæ ſacrariis nondum condidiſti, mea ope fiet, ut nanciſcaris, non enim opinor, quenquam ejus appetentem fore, cum paucis, imo nemini, ſit cognitus auctor, multis magnis ſui temporis doctoribus, ſi non præferendus, certe juxta ponendus; legi enim integrum, cognovique aliqua eum vidiſſe, paucis ante eum viſa. Eſſet hic locus percenſendis iis, quæ ſe mihi novantiquorum in re literaria, dum hic dego, obtulerunt, haud vulgaribus; ſed modus ſit oportet. Superat itaque unicum, cui limen certe debebatur, nimirum ut tibi diutinum ſilentium meum excuſem. Debetur illud non certe ſegnitiei meæ, verum valetudini, qua aliquantiſper uſus ſum, parum proſperæ, plurimisque aliis (quas unus omnium optime noſti) advenæ natis occupationibus, ſed uſurarum loco

de

do epiſtolam ſatis grandem, uſuras fortaſſis ingratas, imo, cum Conſul ſis, publico noxias, ex optima tamen mente profectas, cujus I. E. tuam ipſam teſtem appello ſatis locupletem. Sed jam aliud intervenit, quod excuſem, nimirum ſtili inelegantiam, maculas, atque literarum picturam inficetam; excuſabis hæc omnia, Vir Illuſtris, quæ tua in me benignitas eſt, præſertim cum ſcias, in morem fere abiiſſe, ut literas non concipiam prius, et potius feſtinem, quam ſcribam, unde neceſſe eſt nonnunquam, huc pertinere Plautinum illud: an gallinæ etiam habent manus? Salve, Vir Illuſtris, cum Ill. familia, tota gente, atque civitate demum univerſa, feliciter rem gere, atque nobis, ſi meremur, imo etiam ſi non meremur, favere perge. Halæ Sax. 8. Junii 1727. Raptim.

CXXXV.

CXXXV.

HENRICO CHRISTIANO SENCKENBERGIO

Suo.

Cum meam nuper in reſpondendo induſtriam collaudaveris, merito nunc quidem miraberis, quod tam cito ab eadem remiſerim. Nulla vero oſcitantia, neque ulla, quæ me, quoad vixero, minime capiet, tui oblivione id factum eſſe, facile agnoſces, ſi, quanta negotiorum mole pro graviſſimi muneris ratione opprimar, tecum reputabis. Hæc ipſa ſane mora, quam invitus trahere cogor, eo moleſtior mihimet ipſi eſt, quod exoptatiſſimo ſuaviſſimoque alloquio tuo me privet. Ni vetaret verecundia, rogarem te ſane, ut me etiam tacentem crebrioribus tuis exhilares. Nimia hæc mea tibi ſane videri poſſet ruſticitas, niſi meo erga te affectui ſummoque tuarum deſiderio eandem tribueris. Reprimens igitur hanc meam audaciam, etiam atque etiam rogo, ne vel eandem, vel etiam meam in ſcribendo cunctationem vitio vertas. Eruditorum, quod

quos cum viris Academiæ veſtræ Celeberrimis miſcuiſti, ſermonum participem reddere volueris, gratias ago, majores utique habiturus, ſi, quod benivole polliceris, de rarioribus, quæ in bibliothecis tum publ. tum privatis animadvertiſti, vel in poſterum obſervaturus es, ac de iis denique, qui in tuas forſan manus incident, libris rarioribus me edocueris. Ill. GUNDLINGIUM amici veteris memoriam nondum depoſuiſſe, eſt, quod læter. Salutabis eum data occaſione meis verbis officioſiſſime, certioremque reddes, me non ſine voluptate illorum temporum recordari, quibus una menſa victitare, atque amœniſſimis eruditiſſimisque ſermonibus uti frui licuit. De egregio, quod de Origine Feudorum moliris, opere ex animo gratulor, utque illud ipſum feliciter perficias, ex animo opto. Rogas, ut e meo qualicunque adparatu librario nonnulla ad egregium hoc argumentum facientia ſuppeditem, quod, etſi lubens agerem, vix tamen præſtare potero, quod omne otium ademtum mihi ſcias. Quod ſi tamen loca nonnulla evolvenda atque excerpenda e ſcriptoribus minus obviis judicaveris, per Amanuenſem id curabo. MEVII Jus Publicum Pomeraniæ notum mihi non eſt; vereor autem, ut tanti ſit, quanti illud facit poſſeſſor, quip-

pe qui more ſolito omnia ſua nimiis efferre laudibus conſuevit. MEVIUS certe eximiis Jus Civile illuſtravit ſcriptis, nullis vero, quantum mihi conſtat, Jus Publicum exornavit, quamvis negari minime debeat, illis illuſtre in orbe literario nomen eum conſequutum eſſe. Adjecta forſan monumenta publica operi pretium conſtituent, ſed ipſa illius inſpectio certiorem de his omnibus te reddet. LEVCKFELDIUM bene valere, lætor; FRANCKII vero obitum quam maxime doleo. Ill. BOEHMERI novam Inſtitutionum editionem eo avidius exſpecto, quod videre geſtiam, num Codex ille meus membranaceus, quem olim eidem conceſſi, aliquem uſum præſtiterit. Amicus meus Helvetius mutus eſt, ut piſcis, nullum plane reſponſum huc uſque dedit, tantum abeſt, ut aliquam de GOLDASTI fatis notitiam ſuppeditarit. Siquid vero de eodem innotuerit, lubens utique ſuggeram. Quæ de Microſcopio ſtatiſtico, larvatoque ejus auctore mones, perjucunda fuerunt; neque enim illud, neque etiam hunc noveram. Rem igitur facies gratiſſimam, ſi librum hunc tuo, qui plurimum apud me valet, calculo probatum æquo, quod grato utique animo refundam, pretio comparabis. Minus ſecunda te hactenus uſum fuiſſe valetudine, ægerrime intellexi; aeris

victus-

victusque mutationibus eandem tribuo, utque proſperrima in poſterum gaudeas, ex animo opto. Nova, quæ commemorem, vix occurrunt.

Nactus nuper ſum Amerbachianam operis Guthmanniani editionem, quam olim comparare ſtuduiſti, aſt fruſtra, quod iniquum a poſſeſſore pretium ſtatuebatur. Non minori, imo vero majori hoc meum conſtitit exemplum; cum vero permutationis jure illud a Forſtero acceperim, non renuendum duxi.

Num in Academia veſtra prohibitorum, quos vocant, librorum curioſi ſint, ſcire geſtio. LANGIUS forſan aliquem eorundem adparatum poſſidet, quem ſi ad ſæpius tibi laudatam permutationem ineundam perſuadere poſſes, inſigne utrique noſtrum beneficium præſtares. Diu eſt, quod in ſcriptum illud Atheiſticum, quod ante aliquot annos in ſuggeſtum Eccleſiæ cujusdam Magdeburgenſis tenebrio quidam depoſuit, inquiſiverim. Rogavi equidem Simonem J. ARNOLDUM, Paſtorem ejusdem Eccleſiæ nuper defunctum, ut ejus copiam procuraret; reſpondit autem ille, ſcriptum illud deteſtandum a Magiſtratu perpetuis tenebris damnatum illico fuiſſe. Cum vero PETERSENIUS, ut ex edito contra iſtud ſchediasmate colligere eſt,

illud ipſum habuerit, fieri facile poteſt, ut vel D. LANGIUS, vel alius amicorum ejus ab eodem receperit. Quodſi igitur illius apographum comparare poſſes, inſigne mihi præſtares officium. Sumtus libenter reſtituam, vel etiam, ſi mavelit, ſcripto rariore compenſabo. Ignoſces, confido, ruſticitati meæ, ac pro ſingulari humanitate tua, quam tot argumentis in adaugendo adparatu meo olim comprobaſti, petitis meis lubens annues. die XIX. Julii MDCCXXVII.

P. S. Adeptus nuper etiam ſum majorem libelli illius rariſſimi de Ratione Status, quæ ſub ficto Hippolyti a Lapide nomine, forma, quam vocant quartam, An. MDCXC. prodiit, editionem, cum nonniſi minorem illam, quæ Anno MDCXCVII. lucem vidit, hactenus poſſederim. Noſti fœtum, vel, ut ſcrupuloſioribus nonnullis videtur, monſtrum hoc JCto Celeb. RUSDORFIO adſcribi. Dum vero hunc virum nomino, memoriam ſubit, Dn. LOENIUM noſtrum inſignem epiſtolarum ipſius anecdotarum adparatum a Cl. MIEGIO recepiſſe, quas cum vita illius, quam JOANNES noſter parat, forſan editurus eſt (g).

CXXXVI.

(g) Prodierunt Francofurti ad Moenum in

CXXXVI.

HENRICUS CHRISTIANUS SENCKENBERG.

Noviſſimas meas recte ad Te perveniſſe, Vir Illuſtris, certa ſpe præcipio; ſed non ſufficiebat, inquis, et conſuli, et

---

in fol. A. MDCCXXV. RUSDORFFII Conſilia et Negotia publica, ubi diverſi Tractatus et Conſilia, diverſo tempore, prout res in deliberationem cadebant, aut proponebantur, ſcripta et Rerumpubl. in Europa ſtatum concernentia, continentur. Accedit Epiſtolarum familiarium ipſius autoris, ad Viros Ill. et amicos ſcriptarum, Collectio ex Bibliotheca Loeniana. Suſpicor, Epiſtolas, ubi novus paginarum ordo incipit, anno demum 1727. vel poſtea operi huic annexas eſſe. An RUSDORFII vita ac fata, a b. G. Chriſtiano JOANNIS ſingulari commentario deſcripta, quorum in præfatione ſpem fecit Editor, tandem prodierint, me ignorare fateor.

plurimis negotiis tantum non oppreſſo ſatis loquacibus litteris gravem fuiſſe, addendæ erant alteræ? Imo vero, inquam, ſummittendæ erant et hæ; cum priores non ſcribenti, ſed feſtinanti memoria non ſuggeſſerit ea, quæ Illuſtris hujus Academiæ Cancellarius et hac ipſa die novus hujus Academiæ annuus Conſul ſ. Prorector ad J. T. D. nuper perferenda dederat. Scilicet petebat Illuſtris Vir, certior fieri, num Manuſcriptum quoddam Inſtitutionum Imperialium vel etiam integri Juris Corporis in Tuorum numero extaret, cui gloſſa non adjecta, ut inde de ætate judicium fieri queat. Simul volebat, adſcribi ſalutem ſuis verbis quam ampliſſimam, plurimaque diſſerens de inſigni ſibi luſtrata MSta Tua ſupellectile, ſcire avebat, quorſum Pars altera Operis, quo MStorum Bibl. Celeberr. Tuæ portio recenſetur, devenerit, illa nimirum, quæ Francofurti impreſſa ibidem cum reliquis Franckianis libris ſub haſta vendita, ſibi enim ea per fore opus, cum inter reliquias librariæ hujus officinæ, ſibi Creditori juſſu Regio addictas, Partis prioris ſit magna ſeges ſuper. At dum Franckii nomen profero, ſuccurrit, fortaſſis J. E. T. non injucundum fore, noſſe, ubi Franckius is, Vir ſane, quod ſcripta docent, non indoctus inpræſens degat; Habitat is

Bel-

Belgium fœderatum, non longe ab Amſtelædamo nobilium imaginibus juvenum moderatoris ſpartam ſuſtinens, quo in loco amico cuidam D. Bieckii Bibliothecæ Marianæ præfecti viſus ſalutatusque eſt, a quo ego accepi. Hac ipſa die cum ALBERTI LUDEWIGIO Prorectoris munia per manus traderet, didicimus hoc anno quingentos quinquaginta quinque Studioſos huic Academiæ nomen fidemque dediſſe, quod cum ſcitu non indignum judicarem, in calce adiiciendum exiſtimavi, ſimul me meaque ſtudia J. T. E. de meliore nota commendans, precatus eidem ſalutem quam ampliſſimam, atque ſufferendis tot tantisque oneribus robur ex alto. 1727. d. 13. Jul.

P. S. Leuckfeldius, quem aliorum relationibus ſeductus vivere ſcripſeram, atque magnæ molis librum agitare, ſesquianno abhinc in vivorum numero eſſe deſiit; utut hoc neque Bœhmero, neque Ludewigio, neque etiam Gundlingio cognitum fuerit, qui uno quaſi ore idipſum, quod ſcripſeram, mihi retulerant. Ejus MSta numique quo devenerint, itidem explorare nequivi, ſed dabitur opera, ut quid iis factum intelligam. Proxima die Lunæ Bœhmero Præſide, Diſſertatio peragetur de natura Pœnarum Eccleſiaſtica-

rum, ſi recte memini, rarum! cum eo tempore, quo hic verſor, ne unam quidem Juridicam, Medicas ad X. et ultra propoſitas viderim publice.

CXXXVII.

HENRICVS CHRISTIANUS SENCKENBERG.

Tantum abeſt, Vir Illuſtris, ut, quod verebar, longiuſculas meas nauſees, ut potius ad inconditum meum ſermonem identidem iterandum, etiamſi per negotia Tuorum nihil ad me pervenire queat, ultro provoces. Agnoſco lubens Tuum, quem ſemper ſuſpexi, in me animum, necnon negotiorum, queis tantumnon opprimeris, faſces, en Tibi itaque quas benigne imperaſti. Primordia ſermonis ab humaniſſimis Tuis ducenda erunt, quibus primo loco Illuſtrem GUNDLINGIUM ſalutatum volebas, eique revocari in memoriam conſuetudinem illam, quæ Tibi, Vir Illuſtris, hac in Academia aliquando cum eo intercesſerit: utrumque a me effectum,

neque

neque id GUNDLINGII memoria lapſum cognovi, adeo ut potius ampliſſima ſalute præmiſſa ejusmodi albos dies ſæpiuscule ſibi redire peroptaverit. Præfert is ſane vitam, quam ducis, civicam Academicæ multis nominibus,et ſæpius memini, me ex iis, qui GUNDLINGIO neceſſarii aut a ſtudiis ſunt, audiviſſe, eam ſatietatem laborum Academicorum eum cepiſſe, ut ſi uxoris ſalacis facinora ac furta clandeſtina amorum eousque eam in ædibus ejus morari permiſiſſent, donec ſatis luculenta bonorum parte ex hereditate Krauthiana Berolinenſi augeretur, omnino futurus fuerit ex Profeſſore Academico prædii cujusdam nobilis incola. Quoniam autem uxoris Gundlingii habita mentio, fortaſſis non alienum ab hoc loco erit noſſe, eam Magdeburgi degentem deliciis ſibi conſuetis affluere, mariti æque incurioſam, atque is ejus eſt, id tantum dolenter ferentem, nuper imperio regio ſibi alterum filiorum, quem penes ſe ſervabat, ſuis artibus poliendum, ablatum, patrique flagitanti idipſum reſtitutum eſſe. Feruntur de ea heic loci plurima, an ex vero, an autem ex falſo, nunc non diſputo, genio ſane eam indulgere par eſt credere. BOEHMERUS Diſſertationes duas, quarum nuper indicium feci, Juri Eccleſiaſtico, cujus novum Tomum

parat, inſerturus creditur, quarum poſterior cum publice diſceptaretur, mihi inter alios contradicendi munus obvenit, verum tempore excluſus nil aliud fere egi, quam ut contradicere me voluiſſe oſtenderem, cum nonnulla eſſent, quibus ſerio refragarer. Inſtitutiones Bœhmerianas, quarum Ill. E. T. mentionem iniicit, nondum vidi, ſi a paucis earum pagellis abeas, neque enim adhucdum integræ prodierunt, verum Collegio Inſtitutionum ſubſtratæ Bœhmeriano plagarum tenus a ſtudioſis, qui pretium initio numerarunt, ex typographeio auferuntur. Vidi eis ſubjectas nonnullas novas Notas, adjunctam etiam Paraphraſin Theophili Latinam, ni fallor, ex edit. CONTII deſumtam, mallem vero ego, ſi quid judico, ex editione C. A. FABROTTI textum Græcum acceſſiſſe, parum enim eſt Theophilum habere, ſi Græcum non habeas textum, qui meo calculo eo rectius acceſſiſſet, quo rarius hodie editio C. A. FABROTTI comparet. I. E. T. Codicem membranaceum non dubito in multis ei profuiſſe, præſertim cum abunde conſtet, eam Juris Conſultos noſtros Criticam induſtriam hodienum debere univerſo Juris Corpori, quam ab annis plus minus CCL. auctorum reliquorum Romanorum Græcorumve ſingulis ferme apicibus adhibuerunt.

runt. LUDEWIGIUS certe noſter hujusmodi quid molitur, eumque in finem nuper rogabat,ut Ill. E. T. ſuo nomine Codicum MStorum Inſtitutionum Juſtinianearum, quos Bibliotheca ejus ſplendidiſſima ſeruat, Notitiam rogarem, ab Inſtitutionibus enim ordiri fert animus. Certum eſt,operæ pretium facturum eſſe Virum antiquæ ſcripturæ callentiſſimum, inter codices a XXX. annis inde uſque verſatum, et quod præcipuum, ingenio et Antiquitatis Romanæ ſcientia apprime præditum, quæ dum conſidero, non opinor defuturam eſſe conatibus ejus J. E. T. cum fortaſſis poſt Bœhmerianam induſtriam non defuturum ſit, quod agat in ipſis Inſtitutionibus. Favet is mihi impenſe, admittitque ſæpius inter ipſos negotiorum ſtrepitus, cum alias tamen ferant eum paucorum eſſe hominum, atque haud ita pridem mentionem mei in ædes ſuas futuris nundinis recipiendi, ſi quidem id allubeſceret, habebat, quod faxo fiat,dummodo inquilinorum abſceſſus conclavis cujusdam in ædibus ejus copiam faciat, tum demum enim opinor non defore occaſionem tempus in hac Academia recte collocandi. Hujus, de quo hactenus differui, LUDEWIGII prodiit hiſce diebus Oratio, habita, cum faſces Academicos loco FRANCKII 12. Jul. cupeſſeret, adjuncta Pa-

Panegyri Franckiana, quippe quem virum Ill. auctor unum omnium Theologorum maxime coluit. Viderunt etiam valvæ Prytanei noſtri alteram Orationem 12. Jul. habitam Prorectoris ALBERTI muneri rectoris valedicentis, *de Autochiria præcipue Eruditorum*, quarum tamen neutram mihi lectam profitear neceſſe eſt, non enim deſunt alia, quæ agam, præſertim poſtquam meis laboribus hoc ipſo tempore pauxillum acceſſit. Illuſtris enim Thomaſius, Bibliothecæ ſuæ luſtrandæ poteſtate facta, ſingulis diebus ut nonnullas horas ei impendam, effecit, quo ipſo ſpero Dei gratia doctrinæ non parum mihi paratum iri, data libros domum exportandi, ſi arriſerint, licentia. Nonnullas horas huic negotio adhuc impendendas opinor, quo functus, quid rariorum viderim ad Te, Vir Illuſtris, deferre, muneris mei erit. Valet recte THOMASIUS, diæta præcipue fultus, niſi ſenectutem ipſam morbum exiſtimare velis, opinorque, per annos pluſculos adhuc eum duraturum, cum pro ætatis modulo ſatis vegetus exiſtat firmuſve. Cepit is nuperrime conſilium junctim excudendorum ſcriptorum, quos adverſarii contra PUFENDORFFIUM emiſerunt, non ſuo quidem, ſed alterius nomine præmiſſo, eo modo, quo Eris Scandica PUFENDORFFII a B. HERTIO Juri

Natu-

Naturæ et Gentium 1712. edito ſubjuncta eſt, cum ſcriptorum omnium ad id luci ſpectantium nemo facile numerum noſtris temporibus inire valeat, tantum abeſt ut omnia poſſideat, quæ, unumquodque paucorum foliorum, quo edita ſunt tempore collegit Illuſtris Vir. Unico tantum ſe deſtitui queritur, cum conſiliario quodam intimo aliquando communicato, neque poſtea ſibi remiſſo; præterea quoque ſibi non viſum fatetur Nic. Becmanni illud, quod in Bibliothecæ Tuæ lectiſſima penu recondi legit in Catalogo Manuſcriptorum, ſcriptum ἀνέκδοτον, quod tamen a Tuo in bonas litteras favore facili negotio impetrari poſſe opinatur, qua de re quid conſtituerit J. E. T. ſcire pervelim. Confectis omnibus agendum mihi opinor cum Knochio Bibliopola, cui rectiſſime credi opus hoc opinor, cum Pufendorffianam Eridem Scandicam ſuo ſumtu ediderit, cujus hæc Collectio quaſi Appendix eſſet, ab omnibus prioris Operis poſſeſſoribus haud dubie redimenda. Meum, quod de feudorum Origine molior opuſculum, eouſque differetur; donec libris abundare contigerit, quod brevi futurum exiſtimo, interim J. E. T. pro benigne oblatis ſuis theſauris gratias maximas habeo quamvis, quid in tanta copia mihi inprimis petendum ſit, dubius hæream,

ream, præter chartas feudales anecdotas aut ſtatutorum feudalium Notitias, quas meo ſumtu deſcribi, qua decet, reverentia rogarem, gratum animum quacunque oblata occaſione declaraturus. Dum vero hæc ſcribo, Anecdota memoriam mihi refricant ejus, quod primo loco Tuæ Ill. Excell. nunciandum erat, Halam Caſparis BARTHII Soliloquiorum MStam poſſidere ſupellectilem. Hem ſupellex! Sed majora efferenda ſunt, nimirum in eodem cum prioribus antro condi Barthiana Adverſaria, in quantum olim edita non ſunt, minuto charactere, atque elegantibus litteris, qualia Barthiana ſane antehac eſſe, non ſcripta ſed picta potius, VI. diverſæ ſpiſſitudinis Tomos in forma librorum, quam quartam vocant, implentia, quorum pleniorem dare guſtum quid prohibet? Primus Tomus a Libro LXI. orſus cum libro LXXVI. decurrit ad finem. Secundum Librum LXXVII. et reliquos uſque ad XCIII. excluſive includit. Tertium conſtituunt a Libro XCIV. ad CXIX. progreſſi. Quartum CXX. orditur, finit CXLVI. Quintum CXLVII. cum ſequioribus uſque ad CLXIV. ornant. Sextus Librum CLXV. primo, ultimo loco CLXXX. pangit, qui ultimus Notata Barthiana ad Guntheri Ligurinum complectitur, Amico communi Cl. JOANNIS cum nova reli-

liquarum Notarum in Ligurinum collectione Reuberiano Scriptt. R. G. Tomo inſerta, ex MSStis, ita tamen, ut ſi edita cum his contendas, multis paraſangis inedita præſtare confiteri cogaris primo ferme intuitu. Singulis Tomis inſcriptum nomen poſſeſſoris Henrici ab Einſiedel Barthianæ ex filio neptis mariti, quo defuncto in manus conſiliarii cujusdam *Caleni* devenerunt, qui tantarum opum hodieque poſſeſſor eſt. Neque enim latere debet Ill. E. T. prout nec latere opinor, BARTHIUM Seniorem multum temporis Halæ traxiſſe, cumque is Lipſiæ obiret in Paulino conditus, filium convaſatis rebus domicilium Halæ fixiſſe, ibidemque diem obiiſſe ſupremum, Einſidelium vero ejus generum rei domeſticæ negligentia adeo laboraſſe, ut poſt ejus fata creditoribus cuncta ejus ſupellex cederet, e quorum manibus Calenus redemit. Is nunc, velut Herodoti formicæ auro ſibi inutili, his MSStis incubat, capularis ſenex, nullo amico, nullo ſervo ſtipatus, non niſi maximo pretio ab hac poſſeſſione dimovendus, quod ipſe ſingulis Tomis C. thalerorum ſtatuit, ut tamen haud obſcure declaret, cccc thaleris eo ſe ceſſurum eſſe theſauro, quem is, maximum licet, ſuo judicio longe ampliorem conſtituit. Querebatur, cum ſermonem conferremus, Bar-

compareret, prohibita venditione, fiſcoque addictis exemplis omnibus; periiſſet cum nomine hæc editio, ni poſt biennium, re curatius penſitata, redditis Bibliopolæ exemplis, occaſio nata fuiſſet ejus in plures transfundendæ. Æque gratum, vel adhuc gratius mihi fuit, Hippoliti a LAPIDE editionem primam (Sedinenſem nimirum) J. E. TVAE obveniſſe, maxime exemplum illud, cui C. *Neoſtadius* adjunctus, quod ego aliquando, cum Vobiscum eſſem, meos in uſus ambivi: Pluris ſane facienda eſt hæc editio atque illa in 12ma librorum forma, quam ego heic et Lipſiæ paſſim obviam eſſe inveni, libris etiam meis adſcriptam, verum non eo, quo volebam, pretio, ſed eo, quod Antiquariorum avaritia ſtatuerat. Vix autem hac in meorum numeros relata, ecce! invenio et aliam, Sedinenſem, quam tamen comparare rationes Bibliothecalæ meæ non ſinebant, cui nimirum ſufficit libri alicujus exemplo qualicunque inſtrui. De Microſcopio ſtatiſtico comparando in uſus J. E. T. ſolicitus fui, neque tamen eo potiri contigit, cum Antiquarius neſcio, quo caſu reliquorum librorum turbæ illud immiſcuiſſet, ut tamen non omnis ejus inveniendi ſpes decollaverit, quod ſi comparuerit, illico coemtum transmittam, oblata occaſione. De auctore poſtmodum plura inveni, audiviſſe eum Jenæ WEIGELIVM,

Helmſtadii CONRINGIVM, Argentorati BOECLERVM, Francofurti fruitum BOINEBVRGII Baronis patrocinio, nec non Syndici quondam noſtratis (quem paſſim doctum prædicantes lego) STENGLINI amore, quem libri, ut partus immaturi adhuc, editionem diſſuaſiſſe ajunt, utut nonnulla lectu digniſſima contineat, et præcipue Jura Civitatum Imperialium paſſim tueatur. Novis Profeſſoribus Academiam noſtram indies augeri, vel id argumento eſt, quod poſt nuperos Theologorum in ordinem loco FRANCKII receptos binos, CALLENBERGIVS Philoſophus, et alius HOFFMANNO Adjunctus quaſi ex Machina prodierint. Neque hoc nobis ſufficit, in eo eſſe Regem ferunt, ut ſingulis Profeſſoribus, quinquageſimum annum transgreſſis, novos ſufficiat, qui onerum et ſalariorum partem ferant, eo ipſo Seminarium quoddam quaſi paraturum, quod delectos heroas equi Trojani in morem emittat, aliis rem ne confectam quidem iniquis, aliis vero æquis oculis aſpicientibus. LANGIVM, quod JU. E. T. juſſerat, hisce diebus conveni, rogans, ut MStum illud ſuſpectae fidei, cujus deſiderio teneris, a ſe impetrari ſinat: Ille contra nihil hujus ad ſe perveniſſe, neque etiam, ſi perveniſſet, per tantum ſpatium ultrices flammas eluſurum fuiſſe affirmabat, cum plurima hujusmodi ſcripta, ad ſe quoque

miſſa,

miſſa, ne poſt fata heredibus prava dogmata inſtillarent, Vulcani vi ad nihilum redegerit, quæ ſi ſupereſſent, nihil moræ in ſe futurum fuiſſe, quo minus cuncta in manus Tuas pervenirent. Poſtmodum juſſo me J. E. T. ſua obſequia deferre, et id addendum cenſuit, eſſe ſibi nonnullas Conciones B. SPENERI autographas, nec non alia ejusdem auctoris, quæ ipſe JU. E. T. conceſſurus ſit haud invitus, quæ et ipſa omittenda non duxi, utut jam videre mihi videar, quo loco hæc apud Te futura ſint. LEVCKFELDII, (quod jam prioribus meis mandavi, ante ſesquiannum ſubito caſu rebus humanis exemti) MSStis reliquæve literariæ ſupellectili quid factum ſit, ex D. LANGIO noſſe avebam: Is famam harum copiarum ſibi ſaliuam moviſſe dictitabat, adeo ut earum partis ſibi vindicandæ cupiditate laboraverit, verum nil extricaſſe, quanquam famæ ſuam conſtare veritatem, atque inſignem eſſe apparatum Leuckfeldianum aliunde teneat. Ad MStum autem impium illud ut redeam, LANGIVS opinabatur, ex Bibliotheca PETERSENII nihil operari poſſe, cum illa in manus neſcio cujus devenerit, atque integra ſervari ex voluntate defuncti debeat, adhæc incertum eſſe, an hujusmodi minoris molis chartæ a poſſeſſore inveniri queant. Hactenus quidem de ſcripto illo; quæ cum ita ſint, nil reſtat amplius, quam

ut ego per me illud eruere coner, qua in re de diligentia mea J. E. T. id velim exiſtimare, fore eam exactiſſimam, in quantum quidem ea in me cadit. De rarioribus meis, quae ut ediſſeram exigis, quæ ſignificem fere nulla ſunt, cum plurimas manus rariora, et id quidem inſano pretio appetentes hic locus alat, quo factum, ut antiquarii rariorum nihil non calleant. Obtigerunt tamen mihi GYLMANNI ſymphoremata integra, apud nos ob raritatem et rerum Cameralium notitiam quantivis pretii, HOEPINGII Conſilia Francofurti 1654. 4. egregiæ raritatis, Franciſci BVRGKHARDI Tr. de Autonomia, *München*, 1593. 4. ob acta publica inſerta magnifaciendus, atque a me Francofurti aliquamdiu irrito conatu quæſitus, ni fallor etiam in J. E. T. libraria penu: ſi forſan aliud exemplum fortuna mihi obtulerit, erit, quo Bibliothecam Tuam, ſi nondum illo aucta eſt, augere queam. LOCCENII Synopſis Juris Suec. publici et privati Gothoburgi 1673. 8. nota eſt. Benjam. LEVBERI *Magdeburgiſcher Stapel-Unfug*, *Budiſſin*, 1658. 4. *Le Mercure Jeſuite, ou Recueil des pieces concernants le Progres des Jeſuites, leurs eſcrits et differents. Tom. I. Geneve* 1626. *Tom. II. Ib.* 1630. 8. Deductiones variae, aliaque plurima ſcripta minora, de quibus alias, nunc enim ſermo, ne longius ſe diffundat, contrahendus eſt. Chronicon Sileſia-

leſiacum, Chronicon Halenſe, Varia Acta Magdeburgica concernentia, et alia MSSta vidi venire, de quibus alias largiore manu. Id tantum in praeſens, Budſtadii in Thuringia (quod cave quis Thuringorum reſciſcat) ſervari inſigne Volumen Epiſtolarum MStarum Ill. Baronis BOINEBVRGII in fol. una cum C. S. SCHVRZFLEISCHII *τῶ πάνυ* Vita Principis Georgii Friderici Waldeccii conſignata 1697. fol. pertingente ad ann. usque 1675. quæ fortaſſis comparandi ſe offert occaſio mihi futuris nundinis auctumnalibus tempore abundanti, eodemque excurſuro, ſi quidem volueris TVOS in uſus, ſi mihi quidem de pretio conſtiterit, quo emta velis. Sed ne cum aëre induſtriam meam, quam [illegible] augenda ſupellectile TVA, Ill. Vir, TIBI deprædicare libuit, mutaſſe, aut, exuiſſe me credas, en TIBI ne roganti quidem comparata hæcce! *Sebaſtian FRANCKENS Kriegbüchlein des Friedens, Franckfurt* 1550. 8. *Geheimniſs derer lezten Zeiten* (cui auctor adſcriptus Chiliaſta *AMMERSBACH* neſcio cujus manu) 1665. 4. Auguſtanae Confesſionis editionem primam *Wittenberg*, 1531. 4. cum Apologia, de qua aliquando ob raritatem an extaret dubitatum in nupera auctione Theologis ringentibus præreptam, utut pretium non id mihi effecerint, quod volebam, ſed longe majus, quod nihil ad me, cum jam Halae vili pretio redimere

 libros

libros raros dedidicerim. Caſpari PEVCERI Hiſtoriam Carcerum Tiguri 1605. 8. haud ita pridem nactus, ante paucos dies aliud adhuc ejus exemplum inveni apud Antiquarium Schneiderum; eo tamen non carere J. E. T. libello raro quamvis, exiſtimabam. Priores mittam oblata occaſione, leve munuſculum ſi rem, ampliſſimum, ſi animum ſpectes. Accedet MStum quoddam Andreæ OSIANDRI, illius nimirum, qui tantas in Pruſſia turbas dedit: *Vermuthung von den lezten Zeiten und dem Ende der Welt*, 1545. 4. compoſitum, fortaſſis haud ingratum; ſed cohibendus eſt ſtilus. 1727. d. 12. Aug.

CXXXVIII.

HENR. CHRIST. SENCKENBERGIO SVO.

Etſi binæ illæ tuæ in tempore redditæ, ut omnia, quæ a te proficiſcuntur, ſolent, acceptiſſimæ fuerint, longiuſcula tamen prolixiorque epiſtola eo majorem attulit voluptatem, quod uberiorem rerum jucundiſſimarum notitiam præbuerit. Ad utramque nunc, quantum temporis, qua hactenus premor, anguſtia feret, reſpondebo. Illuſtri Domino Pro-Rectori veſtro prævia ex me ſalute nunciabis, me nullos alios Juris Codices veteres poſſidere, quam

quam qui in primo Catalogi MStorum meorum volumine recenſentur. Ex quibus, ſi unum alterumve videre atque conferre geſtiat, tibi transmittam, tibi inquam, Amice chariſſime, de cujus in reſtituendo fide atque induſtria certus atque ſecurus eſſe potero, in juſtiſſimo illo meo, quem optime noſti, de piceis nonnullorum manibus metu. Priores illæ Catalogi MStorum partes in hac urbe noſtra typis exſcriptæ una cum reliquis Franckii (*) libris inter bibliopolas noſtrates ſub haſta procul dubio venditæ fuerunt, a quibus facile exempla haberi, ac æquo, ſi parata pecunia coemantur, pretio comparari poterunt. Oblata mihi quidem fuerunt, aſt detrectavi. Faſtidio enim me affecerunt triſtia infeliciaque operis hujus ingratique laboris mei fata, quæ te minime latent. Tam moleſta ſane illa mihi fuerunt, ut alteram operis partem in ſcriniis meis abſconditam ſervare ac perpetuis tenebris damnare malim, quam ſiniſtræ hujusmodi fortunæ eandem quoque exponere; quamvis alter hic Tomus hiſtorica mea MSta exhibens, priorem illum tam

(*) Sermo eſt de Jo. Chriſtophoro Franckio JCto, qui infeliciter Halæ Magdeb. negotiationem librariam exercuit, cujusque ſumtibus Bibliotheca MSta Vffenbachiana prodiit.

copia, quam ipſorum Codicum præſtantia multum ſuperet, ut de largiſſimo ad partes priores ſupplemento nil dicam. LEVCKFELDII obitum quam maxime doleo; longiori utique vita dignus fuiſſet vir optimus, a cujus ſingulari in exornanda hiſtoria omnigena induſtria multa egregia adhuc ſcripta exſpectari omnino potuiſſent. Hæc ad priores tuas. Ex poſtremarum tuarum exordio non ſine voluptate intelligo, Illuſtrem GVNDLINGIVM, quem denuo meis verbis ſalutabis, mei haud immemorem vivere. Non ſine moerore autem perſpexi, quæ de triſtibus ejus cum Thaide ſua fatis ac calamitatibus ſubnectis. Auget is numerum eruditorum per matrimonium infelicium, quorum amplum ſatis Catalogum plurimi jam dederunt. Socium malorum, ſi juvat, habebit N., de quo N. noſter in nuperis ſuis: *Herr N. iſt vorige Woche nach N. als Hofrath gegangen; jedermann verwundert ſich über dieſe Mutation, da er ſich im Rang*, utilibus, *und allem deterioriret, auch hier keinen Unluſt ausgeſtanden hat. Doch ſcheinet es, er habe folgen müſſen, wo ſeine* Juno *hin gewollt hat*, quæ omne imperium exercuit in minutulum ſuum Jovem, et adeo quidem exercuit, ut non malus maritus dicatur fuiſſe ex gente Cornelia. Neglectum textus Græci Theophili tecum miror Illuſtrem LVDEWIGIVM nova editione ſua operæ pretium facturum, una tecum utique auguror,

guror, de ſuppetiis vero, quæ a me exſpectat, ſupra mentem meam jam explicui. Cæterum non ſine ratione optas, propius in hujus viri conſortium pervenire; optima enim tibi occaſio foret, per erudita ejus colloquia proficiendi, ac locupletiſſimo ejus apparatu literario commodius perfruendi, quod eo majori cum emolumento fiet, quod ad Thomaſianam bibliothecam aditus jamjam tibi pateat, ac quæ in hac deſideras, in illa inveſtigare licebit. Orationes, ab ambobus Pro-Rectoribus in muneris abdicatione ac ſuſceptione habitas, cum ad hiſtoriam literariam faciant, ut benivole transmittas, rogo. Noſti enim, quanta cum induſtria, quæ ad eandem ſpectant, conlegam. Aegre igitur non feres, quod indicem quoque diſſertationum Acad. de quo coram, cum abitum parares, dixeram, tibi nunc mittam, poſtquam filius non niſi paucas, rubro colore expunctas, comparavit. Quod ſi tua ſolertia major earundem copia fieri poſſet, pergratum id mihi foret; ſumtus etiam lubentiſſime a me reſtituentur. Ill. THOMASII inſtitutum in colligendis ſcriptis eriſticis, pro ac contra PVFFENDORFFIVM editis, ſua utique utilitate non carebit; num vero ſepultis jamdudum litibus iſtis multos nunc emtores habitura ſit iſthæc farrago, eſt, quod dubitem. Interim ſcriptum illud Beckmannianum, quod deſideratur, lubens ſum conceſſurus,

ſi modo intellexero, de opere prelo ſubdendo ſerio cogitari. Barthianorum anecdotorum theſauros in Saxonia latere perſpexi ex Diario theologico Löſcheriano, ſeu ejus continuatione, quæ ſub titulo: *Fortgeſezte Sammlung etc.* prodit; in illa enim ſpecimina aliquot eorundem offendi. Gratias vero tibi nunc habeo, quod ipſum poſſeſſorem indicaris, utinam vero æquiorem. Novi enim moroſum atque delirum hunc ſenem, qui meis jam temporibus riſui erat omnibus. Quis, quæſo, Jaſonem aget, qui tot armatis aureis ſtipatus aureum hoc vellus draconi huic eripiet? Mihi ſane epiſtolæ illæ Barthianæ arriderent præ Criticis illis. De Boineburgicarum volumine ac MSto Schurzfleiſchiano poſt inſpectionem, ſi placet, penitius, ac de pretio etiam, quod cimeliis iſtis ſtatuitur, edocebis, quo facto mentem demum meam explicare potero. Quod apud LANGIVM in MStum illud Magdeburgicum, (**) ut rogaram, inquirere volueris, grato animo agnoſco. Prævidi autem reſponſum ab ipſo datum; non aliter enim fert zelus ille theologicus, qui nonnullos ejus ordinis homines adeo occæcat, ut minime animadvertant, quanto

(**) De hoc impio lucifugi cujusdam ſcripto vid. Jac. Frid. REIMMANNI Hiſtoriam Atheiſmi, p. 525. ſq.

to ludibrio vano iſthoc metu ſeſe exponant. Quemadmodum enim ridendi eſſent pharmacopolæ, qui antimonium, opium, ac alia ejus generis toxica, e quibus tamen optima arte parantur remedia, ex officinis ſuis ejicerent; ita ſane illi Theologi deridendos ſe præbent, qui omnia ſtatim ſcripta ſuſpectæ fidei delenda, vel ſingulares et a receptis ipſorum placitis vel tantillum abeuntes opiniones rejiciendas ac ſupprimendas cenſent, ne ſcilicet virus illorum noceat, quod tantopere illis ſane metuendum non eſſet, ſi certa ſemper tutaque haberent antidota atque alexipharmaca, quæ opponerent. Qua de re plura dicenda eſſent, ſi hujus loci foret, vel epiſtolæ ratio ferret. De ſcripto Magdeburgico hoc monendum adhuc duxi, Illuſtrem forſan THOMASIVM illud poſſidere; ni grave eſſet, rogarem te, ut in illud non modo, ſed alia etiam hujus commatis ſcripta apud ipſum inquireres, meoque nomine talium permutationem offerres. Quod ſi annueret, indicem rariorum meorum tum manu tum typis exaratorum daturus eſſem. Noſti, quam proficuum honeſtum tale commercium mihi cum aliis fuerit. Idem tentabo cum Jo. Frid. ARPE JCto, ex cujus ſcriptis editis, feriis inprimis æſtivalibus, intellexi, ipſum plurimos libros vulgo prohibitos poſſidere. Cum vero non conſtet, ubi locorum degat, vel qua dignitate, vel officio fun-

fungatur, rem gratiſſimam facies, ſi de his me edocueris. Hamburgi illum vel alibi in Saxonia inferiore ſubſiſtere conjicio. De rarioribus, quæ tibi obvenerunt, gratulor, ac, ut plura fortuna larga manu ſuggerat, ex animo opto. Quod vero nonnulla meos etiam in uſus comparaveris, in eo certe benivolum animum priſtinumque favorem, quem tot egregiis jam argumentis comprobaſti, agnoſco atque exoſculor. Ea vero non alia ratione exſpectabo, niſi ut ſimul pretium, quod pro iis ſolviſti, indices, tibi utique reſtituendum. BVRCKHARDI Autonomiam ac PEVCERI Hiſtoriam Carcerum jam poſſideo, hanc quidem jam olim, illam vero ſtatim poſt abitum tuum comparavi. De variis, quæ hactenus in manus meas inciderunt, nunc quædam ſubnecterem, niſi temporis ac ſpatii anguſtia id vetaret. Faciam vero id proxime. Die 30. Aug. 1727.

P. S. Gudenianam diplomatum Moguntinenſium collectionem, quæ ſcriptoribus JOANNIS noſtri cura editis coronidis loco eſſe debebat, in Typographia Andreana ſub prelo jam ſudare, nolo te ignorare.

MG 200008

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LEGATORIA S. BENEDETTO
CITERNA

Digitized by Google

Digitized by Google